




SCRIBONIUS
LARGUS.










Payne 1/7/11



SCRIBONII LARGI, MEDICI VETVSTISsimi, de compositione medicamentorũ liber, iamprіdem Io. RVELLII opera è tenebris erutus, & à situ uindicatus.

Antonij Beniuenij libellus de abditis nonnullis ac mirandis morborũ & sanationum causis.

Polybus de salubri uictus ratione priuatorum, Guinterio Ioanne Andernaco interprete.

Apud Andream Cratandrum.
M. D. XXIX.

CANDIDO LECTORI.

Nihil ſanè in literatorum uotis æquè fuit, atque res diuiuas priſcorum imagines omneis, eásq; quâmlibet edacis temporis iniuria delitas, poſteritatis memoriæ tradere. In qua re cum mirè ſudatum ſit, hactenus tamē poſt alios huius calculi inultos, Scribonius Largus (indignum) ſcpultus delituit. Eccum tamen Ruellij uiri diligentiſſimi opera, laboréque reducem, ceu poſtliminio, habemus. Noluit enim homo ſanctus hac nos diutius antiquitate ueneranda fraudari: ſcilicet qui huncipſum inter medicos eo albo habitum ſciebat quem Galenus non commendarit modò, ſed περὶ κατὰ τόπους pluribus locis ſequeretur. Iam quibus tēporibus floruerit, ipſe ſibi teſtis eſt fideliſſimus: qui etiam recepiſſe ſe ab Tyberij Cæſaris legato medicamentum, hoc libro fateatur. Interim, optime lector, Latino medico fruere, atq; beneficij iſtud acceptum Ruellio feres. Nimirum qui ipſe ædendum eum curarit, plurimisq; in locis multa repoſuerit, quæ ætatis ſuperioris incuria deprauata, contabuerant. Nonnulla etiā ex Galeno, quod ex notulis deprehendas licet, reddidit.

COMPOSITIONVM INDEX.

AD OCVLOS Collyria leuia.

Ad tumorẽ

Pastillus

Alterũ

Ad impe

FINIS.

SCRIBONI-
VS LARGVS CAIO IV-
lio Callisto suo S.



INter maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse medicamenta diuinum munus esse. Et id quidem nō sine ratione, ut mea fert opinio. Prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id præstant medicamenta, usu, experientiaq́ probata. Animaduertimus itaque sæpe inter deliberationes, cōtentionesq́ medicorum autoritate præcellentium, dum quæreretur quidnam faciendū, aut qua ratione succurrendum esset ægro, quosdam humiles quidem, & alioquin ignotos, usu uerò peritiores, & (quod fateri pudet) longè summotos à disciplina medicinæ, ac ne† adfines quidē eius professionis, medicamento efficaci dato, protinus uelut præsenti numine, omni dolore, pericu-

† ad for[...] quidē eiu[...] profectos

locꝫ liberasse ægrum. Quamobrem sper nendi sunt qui medicinam spoliare ten- tant usu medicamentorum, nõ à meden do, sed à potẽtia, effectuq́ꝫ medicamen- torum ita adpellatam. Probandi autem qui omni modo succurrere periclitan- tibus student. Ego certè aliquoties ma- gnum scientiæ consecutus sum titulum ex usu prosperè datorum medicamen- torum, multosq́ꝫ ex eadẽ causa non me- diocrẽ gloriã tulisse memini. Est enim hæc pars medicinæ ut maxime necessa- ria, ita certè antiquissima, & ob hoc pri mum celebrata, atqꝫ illustrata. Siquidẽ uerum est, antiquos herbis ac radicibus earum, corporis uitia curasse: quia etiã tunc genus mortalium inter initia nõ fa cilè se ferro committebat. Quod etiam nunc pleriqꝫ faciunt, ne dicam omnes: & nisi magna cõpulsi necessitate, speqꝫ ipsius salutis, non patiunt̃ sibi fieri, quæ sanè uix sunt toleranda. Cur ergo aliqui excludãt medicinam & usum medica- mentorum, non inuenio, nisi ut detegãt imprudẽtiam suam. Siue enim nullum

Medicina necessaria.

experi-

experimentum eius generis remediorũ habẽt, meritò accuſandi ſunt, quod tam negligentes in tam neceſſaria parte fue rint: ſiue experti quidem ſunt eorũ utilitatem, denegant autẽ uſum, magis culpandi ſunt. Qui crimine inuidentiæ flagrant, quod malum cum omnibus animantibus inuiſum eſſe debet, tum præcipuè medicis, in quibus niſi plenus miſericordiæ & humanitatis animus eſt, ſecundum ipſius profeſſionis uoluntatẽ, omnibus dijs & hominibus inuiſi eſſe debent. Idcirco ne hoſtibus quidem malum medicamẽtum dabit, qui ſacramento medicinæ legitimè eſt obligatus: ſed perſequetˀ eos, cum res poſtulauerit, ut miles & ciuis bonus omnimodo: Quia medicina nõ fortuna, neq; perſonis homines æſtimat, uerum æqualiter omnibus implorantibus auxilia ſua ſuccurſuram ſe pollicetur, nullíq; unquam nocituram profitetur. Hippocrates cõditor noſtræ profeſſionis, initia diſciplinæ ab iureiurando tradidit: in quo ſanctũ eſt, ne prægnanti quidẽ medicamentũ, quo

conceptum excutitur, aut detur, aut demonſtretur à quoquam medico, longè præformans animos diſcentium ad humanitatem. Qui enim nephas exiſtimauerit ſpem dubiã hominis lædere, quanto ſceleſtius perfecte iam nato nocere iudicabit? Magni ergo æſtimauit nomẽ decusq; medicinæ conſeruare, pio ſanctoq; animo quenque ſecundum ipſius propoſitum ſe gerentem. Scientia enim ſanandi, nõ nocendi eſt medicina. Quæ niſi omni parte ſua plenè incumbat in auxilia laborantium, non præſtat quam pollicetur hominibus miſericordiam. Deſinãt ergo qui prodeſſe adflictis aut nolunt, aut non poſſunt, aliosq; deterrẽt, negãdo ægris auxilia, quæ per uim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim quaſi per gradus quoſdam medicina laborantibus ſuccurrit. Nam primum cibis ratione, aptoq; tempore datis, tentat prodeſſe languẽtibus. Deinde, ſi ad hos non reſponderit curatio, ad medicamentorum decurrit uim. Potentiora enim hæc & efficaciora, quàm

cibi.

cibi. Pòſt ubi ne ad hæc quidem cedunt difficultates aduerſæ ualetudinis, tũc coacta ad ſectionem, uel ultimo ad uſtionem deuenit. At Aſclepiades maximus autor medicinæ, negauit ægris danda medicamenta. Quidam enim hoc mendacio etiam pro argumẽto utuntur. Poteram tamen (ſi uerũ id eſſet) dicere: Viderit Aſclepiades quid ſenſerit, forſan non omnino in hanc partem animũ intendit. Homo fuit, parum feliciter ſe in hoc negocio geſſit. Nõ deterreor perſona, quũ rem tam manifeſtè prodeſſe uideam. Nunc uero quum tam impudenter cõminiſcãtur de eo, quid poſſum ultra dicere, niſi genere quodam parricidium ac ſacrilegium eos cõmittere qui hæc dicũt? Ille enim febricitantibus, uitijsq; præcipitibus correptis, quæ ὀξῆ πάθη Græci dicũt, negauit medicamenta danda: quia cibo uinoq; aptè interdũ dato remediari tutius eos exiſtimauit. Cæterum in libro qui παρασκευαστικῶν, id eſt, præparationum inſcribitur, contendit ultimæ ſortis eſſe medicum, qui non

ad ſingula quæque uitia binas ternáſue cõpoſitiones, & expertas protinus paratas habeat. Vides ergo quàm nõ placeat Aſclepiadi uſus medicamẽtorum? cui niſi plura quis ad quodq; genus uitij medicamenta compoſita habeat, nõ uidetur dignus profeſſiõe medicinæ. Sed iſta licentia nomine tantummodo medicorum, propter quorundam negligentiam latius proceſſit. Rarò enim aliquis prius quàm ſe ſuosq; tradat medico, diligenter de eo iudicat: cum interim nemo ne imaginem quidem ſuam committat pingendam, niſi probato prius artifice per quædã experimenta, atq; ita electo. Habent itaque omnes pondera atque menſuras exactas, ne quid erroris in rebus non neceſſarijs accidat: uidelicet quia ſunt quidã qui pluris omnia quàm ſeipſos æſtimãt. Itaq; ſublata eſt ſtudendi cuiq; neceſſitas, & non ſolũ antiquos autores, per quos conſummatur profeſſio, quidam ignorant, ſed etiam comminiſci falſa de his audent. Vbi enim delectus non eſt perſonarum, ſed eodem nu

Medicus expertus eligẽdus.

mero

mero malus bonusq; habetur, quod si-
ne labore potest contingere, idemq; di-
gnitatis utilitatisq; præstare uidet posse,
se, unusquisq; id magis sequitur. Sic, ut
quisque uolet, faciet medicinã. Quosdã
enim à peruerso proposito nemo potest
mouere, & sanè omnibus permisit libe-
rum arbitriũ magnitudo professionis.
Multos itaque animaduertimus, unius
partis sanandi scientia, medici plenum
nomen consecutos. Hos uero ab initio
rectam uiam secuti, nihil prius totius ar
tis perceptione, quæ homini permittit,
iudicauimus: Quia ex hac omnia com-
moda nos cõsecuturos existimabamus:
nõ mediusfidius tam ducti pecuniæ aut
gloriæ cupiditate, quàm ipsius artis sci-
entia. Magnum enim & supra hominis
naturam duximus, posse aliquem tueri,
& recuperare suam, & uniuscuiusq; bo-
nam ualetudinem. Itaque ut cæteris par
tibus disciplinæ, ita huic quoq; quæ per
medicamenta uirtutẽ suam exhibet, cu-
riose institimus: eò magis quòd percipi-
ebamus in dies ex usu profectus eius,

quos interdum ſupra fidem atq; opinionem plurimorũ exhibebamus. Sed qđ ultrà opus eſt probare, neceſſariũ uſum eſſe medicamentorum: præcipue tibi, qui quia percepiſti utilitatẽ eorũ, idcirco à me compoſitiones quaſdam petiiſti. Ego autem memor humanitatis tuæ candoriſq; animi tui, quẽ omnibus quidem hominibus plenè, mihi autem etiã peculiariter præſtas, nõ ſolum quas deſideraſti, uerumetiam ſi quas aliàs expertas in præſenti habui, in hunc librũ contuli. Cupio enim mediusfidius qua poſſum, tuæ in me tam perſeueranti beneuolentiæ reſpondere, adiutus omni tempore à te, præcipuè uerò his diebus. Vt primum enim potuiſti, nõ es paſſus ceſſare tuæ erga me pietatis officium, tradendo ſcripta mea latina medicinalia, Deo noſtro Cæſari: quorum poteſtatẽ tibi fecerã, ut ipſe prior legeres, ſimpliciterq; indicares mihi quid ſentires: plurimum enim iudicio tuo tribuo. Tu porrò cãdidiſſimo animo & erga me beneuolentiſſimo, diligẽtiam meam ſub tanti nomi-

ti nominis editione, non uerbis, ſed re probaſti: periculumq́ non minus tui iudicij, quàm ego ſtyli, propter me adiſti, quo tempore diuinis manibus laudando conſecraſti. Fateor itaq́ libẽter, unicas me tibi gratias agere, quod & prius quàm rogareris, conſummaſti amiciſſimo adfectu uota mea, quod contigit mihi fauore pleniſſimo tuo, maturiorem percipere ſtudij huius mei fructũ ac uoluptatem. Ignoſces autem ſi paucæ uiſæ tibi fuerint cõpoſitiones, & nõ ad om̃ia uitia ſcriptæ. Sumus enim (ut ſcis) peregre, nec ſequit̃ nos niſi neceſſarius admodum numerus libellorum. Poſtea tamen, ſi & tibi uidebit̃, ad ſingula quæq́ uitia plures compoſitiões colligemus. Oportet enim copiam quoq́ earum ſelectam habere: Quoniam reuera quædã quibuſdam magis, & non omnes omnibus conueniunt, propter differentiã ſcilicet corporum. Quarum initium à capite faciemus: ſummum enim & primum locum hoc obtinet, dantes operã ut ſimplicia primò ponamus. Interdum enim

hæc efficaciora sunt, quàm ex pluribus composita medicamenta. Erit autem nota denarij unius pro græca drachma: æque em̃ in libra. ✳. denarij octoginta quatuor apud nos † quot drachmę apud Græcos incurrunt. Primũ ergo ad quæ uitia compositiones exquisitæ & aptæ sint, subiecimus, & numeris notauimus quò facilius quod quæretur inueniatᷣ.

†sunt, sicut drachmæ

Deinde medicamẽtorum, quibus compositiones cõstant, nomina & pondera uitijs subiũximus.

SCRIBO-

SCRIBONII LARGI COMpoſitiones Medicæ.

AD CAPITIS DOLOREM.

Compoſitio I.



AD capitis dolorẽ, etiã in febre, primis diebus benefacit ſerpylli pon. quadrãs, roſæ aridæ. p° quadrans. Hæc incoquuntur duobus ſextariis aceti acerrimi, donec ad dimidias perducantur. Inde ſumitur cyathus, & in duobus roſæ commiſcetur, frequenterqꝫ ex eo curatur caput: ubi enim con caluit quod infuſum eſt, niſi aliud recẽs adiiciatur, nocet. II.

Item prodeſt eodem modo ruta per ſe uel cum hederæ baccis decocta. Polygonium quoqꝫ & menta multis profuit, ea ratione decocta, & infuſa capiti dolẽti. ſphondylion, & agni ſemẽ, & platani pilulæ ſimiliter aceto incoctæ, roſæqꝫ

folia residuo aceto cõmixta. III.

Cum autẽ pluribus diebus permanserit dolor, tum omnium supradictorũ oportet uncias singulas sumere, ijsq; admiscere lauri baccarum, castorei, nucũ amararum, pulegij, sampsuci foliorum, singulorũ uncias, & aceti sextarios tres decoquere ad dimidias. Eodem modo rosa admixta, non tamen frequenter, caput curare. IIII.

Ad omnem capitis dolorem efficaciter prodest, crocomagmatis pondo sextãs, aluminis fissi, uel gallæ. p°. uncia. Hæc terere ex aceto & rosa uicibus adiecta oportet, usquedum mellis habeat spissitudinem; inde frontem, & utraque tempora oblinere. V.

Ad capitis dolorem, cum inueterauerit, benefacit hæc compositio: Myrrhæ ✱. p°. i. croci, ✱. p°. ij. amygdalorum amarorũ. ✱. p°. ij. rutæ uiridis. ✱. p°. iij. sphondylij. ✱. p°. i. panacis. ✱. p°. i. laurus baccarũ. ✱. p°. iij. serpylli. ✱. p°. ij. castorei ✱. p°. i. Teruntur hæc omnia aceto, & fiunt pastilli; cum opus est, diluuntur aceto &

to & roſa, in mellis ſpiſſitudinem, atque ita frons & tempora illinuntur. VI.

Oportet uero permanēte capitis dolore, materiam quoque detrahere ex eo per nares, uel os. Quæ res etiam auriculæ, uel dentibus dolētibus prodeſt. Nec minus quibus ſubitæ uertigines obuerſantur, quos σκοτοματικοὺς Græci dicūt. Item comitiali morbo correptos, & caligine impeditos ex magna parte leuat. Debēt autem ij omnes pridie abſtinere, & ſuperioribus diebus aquam potare. VII.

Per nares ergo purgat̃ caput ijs rebus infuſis per cornu, quod rhinenchites uocatur: Hederæ ſucco per ſe, uel betæ ſucco, cum exiguo flore æris, uel cyclamini ſucco mixto lacte aut aqua pari menſura. VIII.

Bene detrahit è naribus liquorem & hæc compoſitio: Salis, nitri, mellis, aceti, olei ueteris, ſingulorum. *. p°. binum, cyclamini ſucci, σταφίδος ἀγρίας, quā herbam pedicularium, quod pediculos necat, quidam appellāt, ſingulorū. *. p°. i.

Hæc in unum mixta, naribus per cornū infunduntur, uel pinna longiore nares interius perfricantur. Cum satis uisum fuerit fluxisse, ut reprimatur, aqua frigida nares diutius abluere pura oportet: uel ea, in qua pridie crocum adiectum maceratum fuerit. IX.

Sed si per os magis detrahere materiam uisum fuerit, quia non sine tormento per nares ea deduceret, suadebimus pyrethri radiculam cōmanducare, atq; subinde hiantem pati fluere saliuā: uel uuam passam cum piperis albi granis totidem dabimus commanducandam, & expuendā: æque enim & hæc deducūt pituitam. Benefacit & sinapi ex aceto tritum, & non excastratū, gargarizatū trium cyathorū mēsura, admixto mellis. p°. quadrante: detrahit enim largiter pituitam. X.

Prodest cum diu caput dolet, adtondere ad cutem, & radere, & diutius siccum ad relaxationem cutis fricare, & aqua calida fouere pura, uel laurum incoctam habēte. Quo tempore etiā sternutamen-

nutamentum concitare non alienũ erit medicamento, quod ex his rebus componitur: Veratri albi, castorei, struthij quod est radix lanaria, piperis albi, singulorũ. ⁜. p°.i. hæc contusa tenuiter forato cribro transmittunt: cum opus fuerit, per pinnam, uel calamum scriptoriũ naribus sufflentur, uel specillo tincto in aquam, & excusso, tacta naribus inijciantur. Proritat sternutamentum etiam per se contusum, & eadem ratione iniectum ueratrum album. Nigrum, sicum, & aridum sternutationem statim inuitat.

XI.

Capitis dolorẽ quemuis ueterem & intolerabilem protinus tollit, & imperpetuum remediat torpedo uiua nigra, imposita eo loco q in dolore est, donec desinat dolor, & obstupescat ea pars: quod cum primũ senserit, remoueatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. Plures aũt parãdæ sunt eius generis torpedines: quia nõnunq̃ uix ad duas, trésue respondet curatio, id est, torpor, quod signũ est remediationis.

Ad comitialem morbum. XII.

AD comitialẽ morbũ, quem Græci ἐπιληψίαν uocãt, herbam quam ijdem πολυνεύρον, nos nerualem appellamus, oportet ieiunum quamplurimum uiridem comesse, à prima luna ad tricesimam. Hæc eadẽ herba ebrio data copiosa, in crapula uinum discutit, mentemq́ restituit. XIII.

Item hinnulei cerui coagulũ intra nouem dies exceptum, benefacit ad morbum comitialẽ. Intelligitur autem dierũ numerus ex eo, quod iacent aures simul eorũ primis temporibus, à nono em̃ die subrigũtur. Oportet ergo sumere tunc coagulum, & arefacere, quo neq; Sol, neq; Luna accedit, atq; inde dare pueris uiciæ magnitudinis globulum, ex aquæ caldæ cyathis duobus: maioribus uerò natu fabæ solidæ magnitudine, ex aquæ caldæ cyathis tribus per dies triginta. Donentur autẽ aquæ puræ supra medicamentũ cyathi duo, aut tres. Hoc remedium qui monstrauit, dixit ad rem pertinere, occîdi hinnulum cultro quo gladia-

gladiator iugulatus sit. XIIII.

Constat inter plures & crocodili testiculum. ✻. p°. i. aut uictoriati, per dies triginta ex aquæ cyathis tribus sumptũ multos remediasse. XV.

Ad recentem comitialem morbũ citò proficit, ad ueterẽ tardius, tymi albi ✻. p°. iij. ex aceti cyathis tribus, & mellis boni pondo uncia: ut dilutũ ieiunus bibat per dies quadragintaquinq;. Sed cum biberit, citatus ambulet milia passuum minimè duum. XVI.

Scio Romæ quandam honestã matronam aliquot comitiali morbo liberasse hoc medicamento: eboreæ scobis hemina, mellis Attici pondo libra, hæc in unum miscentur. Postea adijcitur, si puer fuerit qui laborat, testudinis masculæ, palumbi masculi, utrorunq; ferorũ, id est, nuper captorũ sanguis, quantum fluxerit dum uiua utraq; animalia dimittantur. Sin autem puella fuerit, fœminei generis animalia sint, & eodem modo capta, sanguine effuso emittantẽ. Oportet autem clauum Cyprij ęris acu

tum demittere in iugulũ testudinis, & palũbi uenas, quæ sub alis sunt, ære acuto incidere. Hoc medicamentũ ligneo uase seruatum reponitur. Cum opus fuerit, datur ex eo luna decrescẽte per continuos dies triginta: primum cochlearia tria, deinde quinq;, deinde septẽ, deinde nouem, summum undecim: & rursus nouem, deinde septẽ, deinde quinque, postea tria: & iterum augetur, minuiturq; numerus cochleariorũ, donec dies triginta antedicti cõsumantur. Postea oportebit scobis eboreæ heminam per duos menses consumere uitio correptum, accipientem ex ea terna cochlearia in die, ex aquæ cyathis tribus. Hoc medicamento qui utitur, neque uinum, neq; suillam gustet. Præterea habeat in brachio uerua eborea. Nam sunt & qui sanguinem ex uena sua missum bibant, aut de caluaria defuncti terna cochlearia sumant per dies triginta. XVII.

Item ex iecinore gladiatoris iugulati particulã aliquam nouies datam consumant. Quæq; eiusdem generis sunt,

extra

extrà medicinæ professionẽ cadũt: q̃uis profuisse quibusdã uisa sunt. XVIII.

Illud tamen nõ oportet ignorare, sanari hoc uitiũ cum cognitum est, aliquibus: uiros facilius mulieribus remediari: pueros, uel uirgines liberari post cõplexũ & deuirginationẽ.

Collyria composita leuia. XIX.

AD conturbationes & epiphoras oculorum scio multa collyria, tametsi tardè, magnos tamen effectus habere. Sed nulli collyriorum tantum tribuo, quãtũ lycio Indico uero p se. Hoc enim inter initia, si quis hoc collyrio inungatur protinus, id est, eodem die, & dolore præsenti, & futuro tumore liberabitur. Superuacuum est autem nunc laudes eius referre, in aliȷs enim expertus intelliges simplicis rei uix credendos effectus. XX

Oportet uero minimè quater, quinquiésue ex interuallo inungere, deinde cum combiberint oculi ad singulas inunctiones, eaq; quàm poterint sustinere calidissima, spongiȷs expressis uapo-

rare eos diutius, eodemq́ die in balnea ducere, ita ut cũ cætero corpore caput quoq;, & facies calida immergat̃, & foueatur: uinoq́ uti ut quiſque aſſuetus eſt. Poſtero die ſi qua ueſtigia epiphoræ remãſerint, inungere collyrio aliquo acriore aquato ſub ueſpere, & rurſus in balneum deducere, & uinum dare eodẽ modo. Ferè enim uno die tollit epiphoram, & præcipue incipientem, neq; adhuc alio medicamẽto tactam. Sed ſi ea uis fuerit epiphoræ ut nõ cedat uno die, ſpectare oportebit donec impetus ſedetur, & ita in balneũ deducere, cæteraq́ facere quæ præcepimus. Idem hoc medicamentum etiam ſuprà perunctũ tardius quidem, ſed eoſdem effectus præſtat, maximè in teneris corporibus, ut mulierum, & puerorum, quorum oculi nullius medicamenti uim ſuſtinent: triduo enim aut plerunq; quatriduo tollit dolorem, adiutũ oui infuſione, & aquæ calidæ uapore. XXI.

Item compoſitorũ collyriorũ hoc maximè probo ad recentes epiphoras, &

contur

cõturbationes oculorũ, tumoresq́ꝫ, &
dolores: Aloës Indicæ. ✻. p°. iiij. croci
✻. p°. ij. opij. ✻. p°. i. gũmis. ✻. p°. iiij. plan
taginis ſucci cyathos tres. Terere opor
tet per ſe crocũ diligẽter, deinde cætera
admiſcere pridie macerata ſucci planta
ginis cyatho: atque ita reliquis duobus
cyathis admixtis, cum ſpiſſata fuerint,
fingere collyria. Vtrunqꝫ autem genus
medicamenti eximiè prodeſſe iudico,
proprietate quidem quadam: ſed præci-
puè quòd nullam in ſe aſpritudinem ha
bet, ut pleraqꝫ quibus ferè inunguntur
homines. Nam quæ ex cadmia, aut ære
uſto, eiuſdemq́ꝫ generis pigmentis com
ponuntur, q̃uis curioſè terantur, naturã
ſuã tamen amittere non poſſunt. Nunq̃
enim ut ſuccus diluunt̃, ſed cum in ſum-
mam ſubtilitatem deduci non poſſint,
perſeuerantia tamen terentium, corpo-
ra quaſi puluerulenta neceſſe eſt mane-
ant. Quorũ uerò partes uelut configũt,
certè exterius pungũt foramina prima,
& tuniculam oculi, atque initijs inter-
dum non tam moleſtam futuram con-

citant epiphoram. XXII.

Quod nomine etiam quidẽ Diaglaucium dicitᷣ, probo in initijs. Nã & hoc genere quodam ex eadem materia constat, nec ullam aſpritudinẽ habet, quando ſic cõponitᷣ: croci. *. p°. v. ſarcocollæ *. p°. x. glaucei ſucci. *. p°. xx. tragacanthi. *. p°. v. opij. *. p°. v. Et hoc eñ ego adijcio, & ita melius reſpondet, ſcilicet opiũ & in hoc, & in omni collyrio, medicamẽtoq́;. Verũ adijcere oportet, qđ ex lacte ipſo ſyluatici papaueris capitũ fit, nõ ex ſucco foliorũ eius, ut pigmentarij inſtitores eius rei cõpẽdij cauſa faciũt. Illud eñ cũ magno labore exiguũ cõficitur, hoc ſine moleſtia & abũdãter teritur. Ante oĩa crocũ aqua pluuiatili, deinde adijcitᷣ ſarcocolla, glauciũ, opiũ, tragacanthũ, prius omnia ſeorſum macerata nõ multa eius generis aqua: ut q̃ primum, id eſt (ſi poteſt fieri) eadem die fingantur collyria: ſolet enim diu neglectum mortario inareſcere. His uti primis diebus collyrijs, non cæteris auxilijs prout res poſtulat, abſtinendo dico

ſangui-

ſanguinis detractione, meliusq́ eam cæteris proficere adfirmo. XXIII.

Cũ uero pluribus quis diebus uexatus fuerit epiphora cũ perſeuerantia tumoris, & pituita ipſo calore oculorum glutinoſior uiſa fuerit (qđ ferè ſexto ſeptimoq́ die accidere ſolet) tũ proderũt & ea quorũ genus ſuperius improbauimus, cõpoſita ex rebus metallicis. Facilius em̃ iam patiũtur oculi (ſi modo exhulcerati nõ fuerint) iniuiuriã. Quorũ præcipuè hoc mihi placet, qđ à colore φαιὸν dicit̃. Accipit aũt hæc: æris uſti. ✳. p°. xij. cadmiæ uſtæ. ✳. p°. xij. ſtibij cocti ✳. p°. xij. acaciæ chyliſmatis. ✳. p°. vi. aloes. ✳. p°. iij. opij. ✳. p°. ij. croci. ✳. p°. iij. caſtorei uictoriati p°. myrrhæ, licij, idem ſcilicet põderis, cõmis. ✳. p°. xviij. aqua pluuiatili quæ ſunt durata diu, teruntur donec leuiſſima fiãt: poſtea cætera alio mortario ſingula trita admiſcent̃: dum tollendũ eſt, cõmi adijcit̃. Hoc quidem etiã in initijs utunt̃, cum oui aquato liquore ꝑ ſe, uel cũ collyrio, qđ à cinereo colore σποδιακὸν appellat̃. XXIIII.

Collyrium spodiacum à quibusdā cinereum dicitur, componitur autem ex his: cadmiæ, botryitidos ustæ super testam donec incandescat, & uino falerno extinctæ. ✱. pond. xl. cretæ samiæ, quam uocant astera. ✱. p°. lxxx. stibij cocti. ✱. p°. xx. opij. ✱. p°. x. cōmis Alexandrini. ✱. p°. xx. Teruntᷣ hæc omnia aqua pluuiatili, commi ultimū adijcitur: ante hoc, cum cætera leuia sunt facta, opiū miscetur maceratum pridie aqua. Facit hoc per se etiam initiò cum tenuis abundansq; fluit lachryma, & pustulæ molestæ sunt: aut cum prima tunica oculi exesa est, aliáue exhulcerata. Cum purum hulcus est, diluitur ferè oui albore, quod est tenuissimum. XXV.

Ad sordida hulcera oculorum, crustasq; habentia, quas ἐσχάρας uocāt, item carbūculos, quos ἄνθρακας dicūt, facit benè & per se mel Atticum pyxide Cyprij æris conditum, & repositum mensibus duobus, nec minus: quantò em̄ diutius remanet, efficacius fit. XXVI.

Sed præcipuè hoc collyriū, qđ quidā

Athe-

Atheníppũ, qdã Diaſmyrnes, quidã εὐώδης uocãt, quia boni odoris eſt. Sed præcipuè hoc, qđ etiã ad puſtulas, papulasq́; & ſuppuratiões oculorũ facit, & ad cicatrices nõ ueteres, & ad palpebrarum recentẽ, aut in corporibus tenuioribus aſpritudinẽ. Oportet autẽ eo ad ſordida hulcera diluto cũ oui albo, id eſt, aquatiſſimo uti: deinde cum lachrymæ fluere deſierint, cinereo ſupèr inungere. Itẽ ad puſtulas ex ouo tritum facit. Ad papulas uerò, & ad dolores cum rubore, & diſtentione oculi ſicca, cum lacte muliebri & ex aqua. Aut ad cicatrices recẽtes extenuandas, & palpebrarũ aſpritudinem tollendã, ſubiecto ſcilicet ſpecillo, aut inuerſa palpebra, ſi quis eo utatur. Componitur autẽ ex his: Pompholygis lotæ. ✱. p°. viij. æris uſti. ✱. p°. viij. croci. ✱. p°. iiij. myrrhæ. ✱. p°. iij. nardi. ✱. p°. ſex ſemis & uictoriati, lapidis hęmatitis. ✱. pon. duum & uictoriati, piperis albi grana decem, opij. ✱. p°. i. aut uictoriati, commis. ✱. p°. x. teritur uino Chio.

XXVII.

Collyrium Psittacinũ à colore ita dictum, facit ad epiphoras quæ cum tenui & acri lachryma cõsistunt. Item ad ustiones & solutas cicatrices, & uastum tumorem, quem quia à loco interdum uidetur propellere oculum, πρόπτωσιν uocant, cum oui albo quod est teuue. Sed præcipuè facit, cũ quasi sanguine suffusi sunt oculi, & ob id nullum nisi leuissimum collyrium patiũtur: recipit autem hæc: Croci. ✕. p°. iiij. cadmiæ. ✕. p°. iiij. stibis. ✕. p°. iiij. opij. ✕. p°. ij. commis. ✕. p°. ij. amyli & recentis & dulcissimi. ✕. p°. iiij. Eodẽ modo quæ scripta sunt, in mortario debent teri ex aqua pluuiali. Amylum autem cum iam fingendum erit collyrium, adijcietur. Interdum & hoc superinungãtur qui prius Athenippo curati sunt. His ferè collyrijs leuibus omĩa quæ circa oculos cum tumore & dolore fiunt, remediamus.

Collyria acria. XXVIII.

ACrioribus autem ijs ad cicatrices extenuandas, & palpebras asperas: quod quia ex quatuor rebus ut quadriga

driga equis constat, & celeres effectus habet, ἅρμα dicitur. Recipit autem hæc: æris usti. ※. p°. iiij. thuris arboris corticis. ※. p°. iiij. ammoniaci guttæ. ※. p°. iiij. commis. ※. pond. iiij. Teruntur ex aqua pluuiali. XXIX.

Hoc etiam superunctum, ad puerorũ epiphoras, & qui non sufferunt inunctionem facit: ut huiusmodi medicamẽta, quæ περίχριστα uocant. Croci siculi pondo uncia, cõmis pondo uncia: hæc aqua teruntùr, fiunt collyria. XXX.

Est & hoc medicamentum satis efficax, quo ita oportet palpebras perungere, ne quid intra oculũ fluat. Recipit autem hæc: Croci siculi. ※. p°. iij. crocomagmatis. ※. p°. xij. thuris. ※. p°. iij. aluminis rotundi. ※. p°. vi. opij. ※. p°. i. myrrhæ. ※. p°. ij. cõmis. ※. p°. iij. Vino falerno teruntur, cum leuia facta sunt, & crassitudinem habẽt mellis spissi, adijcitur passi cretici. p°. sextans: reponitur pyxide stagnea, si passum adiectum non erit, collyrium erit. XXXI.

Benefacit & hoc medicamentũ, quo

Augustus usus est, & recipit hæc: Aluminis fissi. ✳. p°. xl. thuris cãdidi. ✳. p°. x. aloēs. ✳. p°. xv. croci. ✳. p°. xv. opij. ✳. p°. ij. gallæ. ✳. p°. x. rosæ foliorum aridorũ ✳. p°. x. plantaginis succi uel seminis. ✳. p°. x. Vino falerno teruntur, cũ leuia facta sunt, & spissitudinem mellis habẽt. Adijcit̃ passi sextarius, aut hemina, aut rursus commiscetur. Reponitur uase stàgneo, uel argenteo. XXXII.

Collyriũ psoricũ ad caliginem, & ad aspritudinẽ oculorũ, siccamq; perturbationẽ sine tumore, quã ξηροφθαλμίαν appellãt. Facit hoc collyriũ benè qđ psori con dicit̃. Habet aũt hæc: Croci. ✳. pon. xij. psorici. ✳. p°. xxiiij. psimmithij. ✳. p°. iiij. opij idem, piperis albi idẽ, cõmis. ✳. pond. vi. aqua pluuiali commiscentur, teruntur. XXXIII.

Stratioticum collyrium ad aspritudinẽ, & caliginẽ. Recipit aũt hæc: psimmithij. ✳. p°. vi. piperis albi. ✳. p°. i. omphacij. ✳. p. ij. cadmiæ. ✳. p°. iij. opobalsami ✳. p°. ij. opij. ✳. p. i. cõmis. ✳. p°. ij. terunt̃ aqua pluuiali, Collyriũ hoc melius superiori

riori ad caligine͂ facit. XXXIIII.

Stacton, quod uocant, ad eadem. Ferè aute͂ mulieribus prodeſt. Habet hæc: cadmiæ. ✱. p°. xiij, ſtibis. ✱. p°. vi. piperis albi. p°. ij. myſis uſti donec puniceum fiat. ✱. p°. ij. æruginis raſæ. ✱. p°. i. & uictoriati, æris floris idem, commis. ✱. p°. v. aqua pluuiali teritur. XXXV.

Collyrium acre ad extenuandas cicatrices, & qua͂uis ueteres, caliginemq; & aſpritudine͂ oculorum, quod ſemel inunctum plurium dierum effectum præſtat. Oportet autem eo aquato uti, diu enim tenet, ammoniaci guttæ. p°. libra͂, æruginis pon. libram, commis. p°. quadrantem: pluuiali aqua teritur ærugo: poſtea cætera adiungunt̃ macerata aqua. XXXVI.

Collyriu͂ quod propriè facit ad aſpritudinem palpebrarum, & calloſitatem. Oportet ſubijcere ſpecillum, aut inuertere palpebra͂: æris uſti. ✱. p°. xxiiij. ęruginis. ✱. pon. vi. croci. ✱. p°. x. myrrhæ ✱. p°. i. nardi ſpicæ. ✱. pon. i. caſiæ rufæ fiſtularum uictoriati pond. piperis albi

grana.xlv. cõmis.✱. pon. nouem, uino Chio teruntur. XXXVII.

Medicamẽtũ liquidũ ad palpebrarũ ueterrimã aſpritudinẽ, & excreſcentem carnem, σύκωσιν quam uocãt. Item callũ duriſſimũ, Hygrã appellant, quia eſt liquidũ medicamentũ, carnẽ ex palpebris tollit ſine magno dolore. Recipit hæc: Myrrhæ, thuris, croci, ſingulorum.✱. pond. iij. myſios.✱. pon. iij. chalcitis.✱. p°. vi. Hæc terunt̃ diligenter aceto acri: ubi leuia facta ſunt, & habent ſpiſſitudinem paſſi, miſcetur eis mellis attici. p°. libra. Deinde in patella æris cyprij ſuper carbones poſita inferueſcit, donec mellis habeat nõ nimiũ liquidã ſpiſſitudinem: atq; ita reponit̃ pyxide æris Cyprij. Cum opus fuerit inuertitur palpebra: deinde hoc medicamẽto ſuffricatur curioſè ad delachrymationem, id eſt ubi deſierit mordere medicamen. Rurſus inuertere oportet palpebram, atque ita pollice impreſſo mẽbranas innatantes abducere, quæ facilè ſubſequuntur.

Poſt hæc cinereo ex aqua inungendi erunt

erũt craſſiore . Hoc inunctum multorũ annorũ callos, & aſpritudines palpebrarum deſperatas à quibuſdã ocularioꝛũ paucis diebus tollit. XXXVIII.

Hygra ad ſuffuſiones oculorũ, quas Græci ὑποχύματα dicunt, medicamentum liquidum. Fœniculi ſucci. ✱. p°. iij. opobalſami. ✱. pond. iij. mellis attici. ✱ pond. iij. olei ueteris. ✱. p°. iij. hyænæ fellis. ✱. pond. i. euforbij. ✱. p°. i. Hoc, oleo diluitur, & ita commiſcetur cæteris. A quato uti oportebit hoc medicamento: eſt enim acerrimum, & undique humores trahit. Quamobrem non ſunt inungendi qui capitis dolorem, aut grauitatem habẽt . Item ante biduũ, aut triduũ ut aquam bibant quos deſtinauerimus eo ungere. Quanquam melius facient etiam ſi perſeueranter aquã potauerint: uitio ẽm moleſtiſſimo facilius inter initia carebunt. Non præterit me, habere te prudentes ocularios, quibus ſi nomina dixeris collyriorum in hoc libro ſcriptorũ, contendant forſan ſe quoque habere eadem cõpoſita: ſed ſi pondera,

aut effectus comparare uoles, longè diuersos inuenies. Ego enim ipse eodem nomine multa cõposita, nõ ijsdem ponderibus & rebus, interdũ habeo: sed his maximè probatis utor. Nec utiq; adfirmo non posse & alios eadẽ habere: nã & ipse ab alijs accepi, sed rarò. Scio quosdam ocularios simpliciter tradẽtes compositiones, meq; multum elaborasse, ut ueras & incorruptas acciperẽ, conscius sum mihi. Neq; illud rursus dico, nouas & non aliquibus notas in hoc libro congesturum compositiones, uerumetiam quasdã diuulgatas, & (ut ita dicam) publicatas. Eiusmodi enim, quia efficaces sunt, etiã pluribus in notitiã ueniũt.

Ad aurium dolorem. XXXIX.

AD auriculæ & tumorem, & dolorem sine hulcere prodest herbæ urceolaris, aut cucurbitæ ramentorum succus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus. Itẽ bestiolæ multorum pedum (quæ tactæ conduplicãt se in orbem pilulæ rotundissimæ similem, κατοικιδίους ὄνους aut πολύποδας Græci hoc

ci hoc genus animaliũ uocant) oleo domeſtico cõplures inferuefactæ uaſe ferreo,benefaciunt. Prodeſt & gliris pinguis,& gallinæ adeps,& medulla bubula,liquefacta,tepensq; infuſa. XL.

Sed præcipuè picis flos, quod πισσελαίων appellant, cum oleo communi mixtum,ita ut tertia pars ſit olei. Nam & dolores ſedat,& ferè non patitur ſuppurationem fieri. Et ſi facta fuerit, eadem res perſanat. Ad ſummam, ego ipſe diu uexatus ab aure,cum multis fruſtra uſus eſſem medicamentis,ab hoc ſum perſanatus,& alios cõplures ſanaui. Florem picis autẽ appello, quod excipitur dum ea coquitur, lana ſuperpoſita eius uapori. Hoc etiam grauitatem odoris protinus tollit. XLI.

Item benefacit hoc medicamentum ad tumorẽ, & exhulcerationem auriũ: aceti acris ſextarij duo, incoquũtur mala granata,quibus coriarij utuntur,quia ſemper ualida ſunt, nec unquam matureſcunt, ῥοὰς ὀξείας Græci dicunt,donec madida fiant. Tunc hæc adijciuntur &

admiſcentur. Aluminis fiſſi uncia, acaciæ ſucci pon. quadrãs. Reponitur medicamẽtum ampulla uitrea. Cum opus eſt, ad tumorem quidem calidũ per ſtrigilem infunditur: deinde foramen ſummum lana ſuccida tegitᷓ. Ad hulcus autem frigidum per eiuſdẽ generis lanam & auriſcalpium iniĳcitur. XLII.

Si caro excreuerit in foramine auris, compeſcitur ſine dolore aut ferro hoc paſtillo: Aluminis fiſſi pon. triens, æruginis pon. triens, miſyos uſti pon. triẽs, rubricæ ſinopidis pon. triens, commis p°. ſextans. Teruntᷓ priora ex aceto acri, donec quaſi cum collyrium componitᷓ, leuia fiant. Vltimum commi adĳcitur: & fiũt paſtilli, qui ad omnia hulcera faciunt, aqua diluti, cum aut compeſcenda ſint, aut cicatricem debeant ducere. Sed aquatioribus oportet uti, cum cicatrix eſt cludẽda. Benefaciũt & ad exhulceratas nares qualibet ex cauſa, & grauiter olentes.

Ad parotidas. XLIII.

AD parotidas cõuenit noctuæ cerebellum

rebellum butyro mixtum: discutit enim ferè eas sine dolore & molestia. Oportet autem aqua marina feruenti, nouis spongijs demissis, & per linteum intortum utrisq; expressis uaporare parotidem, atq; ita oblinere hoc medicamẽto, supérque tegere lana sulphurata totam maxillam. XLIIII.

Item benè discutit parotidas iris Illyrica contusa, cocta ex passo more farinæ hordiaceæ, calda bis térue imposita. XLV.

Discutit & hoc medicamentum parotidas, antequàm suppurauerũt: Spumæ argenteæ pondo dua, cerussæ. p°. libra, salis ammoniaci pon. libra, æris floris pond. dodrans, aceti sextarius, olei ueteris sextarij duo & dimidium. Spumam & cerussam salem per se & cũ aceto terere oportet mortario, deinde oleo admixto traijcere in cacabum amplum, ne extra fundat̃, & efferuescat: efferuescit em̃ ualde. Cum hæc super ignẽ posita habuerint emplastri temperaturam mollis, deponere oportebit cacabũ, cũ

feruere desierit: paulatim aspergere æris florem, & mouere spatha medicamentum, ne extrà fundatur: & rursus coquere, donec habeat emplastri spissitudinē stricti.

Ad sanguinis eruptionem de naribus. XLVI.

ERumpit è naribus sanguis, qui cū abundanter fluxit, nisi celerius supprimat̄, periculū adfert. Proderit ergo aqua frigida uel posca subinde aspergere totam faciem, uel spongia refrigerare, acetū acre infundere in aurem, cuius è regione sanguis fluit: aut in utranq;, si ex utraq; sanguis emanauerit: gypso totam faciē cum fronte, & maximè nares crasse oblinire prodest: & caput frigida aqua copiose, superposito aliquo tegumento, perfundere, uel cucurbitam occipitio adfigere. Inijcere autem intus narē aut nares oportebit cochleæ uiuæ carnem per se, aut cum thuris polline tritam: uel herbam quæ, quia multa est, & ubiq; nascitur, πολύγονον appellatur. Idē trita facit & λυσίμαχιον herba eodem genere. Proderit & spongiæ particulam

præse

præſectam, aptè forcipe ad amplitudi nem & patorem narium figuratam in= ijcere paulò preſſius ex aceto per ſe. In= terdum aſpergēda ei galla erit, uel chal citis curioſe trita, uel utraque in unum æquis ponderibus mixta, melius enim facit.

XLVII.

Item bene ſupprimit & hoc medica= mentū: Mali corticis quo coriarij utun tur, p°. quadrās, aluminis ægyptij. p°. ſe= xtans, chalcitis. p°. uncia. Hoc tritum per ſuccidam lanam aſperſum medica= mētum inijcere oportebit. Facit autem etiam ad omnem ex qualibet corporis parte, ſeu uulneris ſanguinisq; eruptio= nem: quoniam interdū ita (ut diximus) minus curati, præfocati uidētur. Et ma= ximè cum utraq; obturata ſpiſſe neceſſa riò ſunt foramina narium, qua ſpirandi facultas eripitur, non alienum eſt ſcire qua ratione utrunq; præſtari poſſit, ut neq; ſpiratio interpelletur, neq; reme= dium efficaciſſimum (quod per oppila= tionem nariū efficitur) excludat̄. Opor= tet ergo ſumere pinnam anſeris quam=

maximam, uel calami ſcriptorij fiſtulã modicè plenã; deinde aptare ad longitu dinẽ naſi, atq; ita præcidere utraq; parte ut perforata ſit, inuoluereq; ex faſciola tenui lintea quaſi inſita explere circuitũ eius, donec cum uideatur pator narium cuneatiõe quadã recipere poſſe fiſtulã, atq; ita ut eſt circũuolutã mergere ace to acri & inijcere, interdum per ſe, uel aſperſo ſuper acetũ utro libuerit antè di ctorũ medicamẽtorum. Hoc autem re- medio magis uti, cum per utraſq; nares ſanguis abundauit.

Ad hulcera in naribus. XLVIII.

AD hulcera in naribus, plũbi ſter- cus, qđ ſcoriam dicũt, ex uino & murteo oleo uicibus adiecto terere o- portet, donec ſpiſſum fiat, & ita per pin nam nares obteguntur. XLIX.

Facit & hoc medicamentũ bene: Põ- pholygis. ∗. pond. iiij. ceruſſæ. ∗. p°. xij. hyſſopi. ∗. p°. trium. Vino falerno & ro ſa uicibus adiecta teritur, donec mellis habeat temperaturam.

Ad

Ad polypos. L.

AD grauem odorem nariũ, ὀζαῖναν Græci hoc uitium uocant: ærugi nis pond. quadrãtem, aut ſquamæ æris p°. quadrantem, aut utranq; rerum pon deris ſeſcunciæ in mellis deſpumati. p°. libra decoquere oportebit, & eo uti li= quido per pinnam. LI.

Ad polypos, miſy uſtũ, chalcitis uſta, æris flos, uſtum ſori, æris ſquama tuſa, cribrata, ſi eo medicamẽto per pinnam ſæpius nares tactæ, eiuſmodi uitia atte= nuata, cotidie emendãtur: cum ſint à ce= rebro paribus ponderibus, ſicca bene= faciunt. LII.

Sed quia plerunq; uexãtur nares gra uedine, quæ tumore earum efficitur: nõ alienum eſt te eius quoque remedia ſci= re. Prodeſt igitur quies unius diei, & ab omni re abſtinẽtia. Perungendæ nares erũt bitumine liquido, aut myrrha ſta= cte, uel pice liq̃da. Poſtero die paſtillus iſte nocte ſup̃ cibũ dandus eſt, et ſi opus fuerit, per triduũ cõtinuum eodem tem pore: recipit autem hæc: Apij ſeminis

pon. trientem, anesi. p°. quadrantem, alterci seminis, quod ὑοσκύαμον dicit. p°. trientem, opij. pond. unciam. Fiunt pastilli ponderis uictoriati: alijs parte tertia detracta dantur cũ aquæ cyathis tribus. Faciunt autem & ad oculorũ epiphoras, & stomachi nauseã, & deiectiunculas, & ad omnem fluorem.

Ad dentium dolorem. LIII.

AD dentiũ dolorem quamuis plurimi dicant forcipes remediũ esse, multa tamen citra hanc necessitatem scio profuisse. Itaq; cum etiam exesus est aliqua ex parte, tum nõ suadeo protinus tollendum, sed excidendũ scalpro medicinali qua cauatus est, quod sine ullo fit dolore: reliqua enim solida pars eius, & speciem, & usum dentis præstabit. Sed cum dolor urgebit, uariè sedandus est, partim collutione quorundam, partim cõmanducatione, nõnunquam suffitione, aut impositione aliquorum.

Prodest colluere os frequenter radice herbæ quinquefoliæ incoctæ in uino.

Item herba urceolari, & cupressi baccis aqua

cis aqua incoctis. Alterci quoq; radix, aut eiusdẽ semen linteolo spisso inligatum, & aqua sæpius inferuefactum, denti subinde adpositum. Item leuat æquè dolorem dentium portulaca, commanducata ab ea parte qua nõ dolebũt. ut succus traiectus contineatur pusillo diutius, & solani succus tepens benefacit gargarizatus. LIIII.

Suffire autem oportet ore aperto alterci semine carbonibus asperso, subinde os colluere aqua calida, interdũ ẽm quasi uermiculi quidam eijciuntur. Leuat dolorem & bitumen suffitũ. LV.

Item commanducare proderit herbam rhododaphnen, & saliuam dolentibus traijcere, ac pusillo diutius continere, & ita hiantẽ pati saliuã decurrere.

Item mentastrum, uel radicem κοτυληδόνος, quæ herba similia folia cymbalis habet, nasciturq; ferè in parietibus humidis. Pyrethri quoq; radix commanducata multorum leuauit dolorẽ.

Nec minus alumen fissum linteolo spisso circundatũ, & ita dolenti pressum

diutius continere prodest. LVI.

Imponere ipsi uerò denti toti oportet hoc medicamẽtum quasi emplastrũ: Peucedani succi. *. pon. iij. opopanacis *. p°. i. thuris. *. pond. duum, uuæ passæ sine granis. *. p°. i. Hæc per se contundi iubebis, deinde cætera seorsum trita cõmisceri in unum. Vbi fuerit dolor, auriscalpium lana molli inuoluitur, deinde tingitur feruẽtissimo oleo, atq; ita denti primum, deinde proximis gingiuis superponitur bis terue, donec hebetescat ex aliqua parte dolor: post hoc, medicamẽto dens cooperitur. Si repetierit, aut permanserit nihilominus aliquis dolor, super medicamentum auriscalpiũ cum lana ex oleo candenti eodem modo imponere sæpius oportebit, id est, donec dolor tollatur. LVII.

Sed si quando mouentur dentes ex perfrictione, confirmandi erunt plurima gargarizatione lactis asinini, aut uini Marsici ad tertias decocti, in quo lapathi radices conijci debebunt, ut unà decoquantur. Stringit etiam dentes alumen

alumen, quo infectores utunt̃ ex melle Attico, ita ut duæ partes ſint mellis, tertia aluminis. Hæc miſceri oportet mortario, deinde patella fictili feruefacere ut ſpiſſentur: atq; ita recõdere quolibet uaſe æreo, donec hoc medicamentũ primò auſterè, & nimis perſtringere dentes, poſtea remiſſius uidebit̃. LVIII.

Item proderit motis dentibus hoc medicamentum: Aceti acerrimi ſextarius unus ſemis, cedriæ ueræ ne habeat picis aliquam mixturam hemina, aluminis fiſſi pond. triens. Teritur alumen cum aceto, miſcetur deinde cedriæ, & unà omnia uaſæ æreo coquuntur, teda pingui mota, donec in mellis ſpiſſitudinem temperati medicamentum redigatur. Hoc medicamento ſi quis ter in menſe dentes fricuerit, dolorem eorum non experietur.

Dentifricij compoſitiones. LIX.

DEntifricium quod ſplendidos facit dentes, & confirmat: Farinæ hordeaceæ ſextarium cõſpergere oportet aceto cũ melle mixto, & ſubigere di

utius: atq; ita in globulos diuidere sex. Quibus dilatatis admisceri salis fossicij semunciam, deinde furno coquere, donec in carbonem redigantur, tunc terere oportebit eos globulos, & admiscere spicæ nardi qđ satis uidebitur. LX.

Ad dolorem faciundũ hoc Octauia Augusti soror usa est: ad dentiũ dolorẽ, & confirmationẽ benefacit radicis edulis cortex sole arefacta, & contusa, cribrata. Item uitrum candidum, quod simile crystallo est, diligenter tritum, admixta spica. Vtuntur pleriq; etiam huiusmodi dentifricio: herbã urceolarem legunt cum iam in semine est quamplurimã cum radice: deinde lotam uno die siccant: postridie recenti muria dura macerant: tertio die expressam olla noua componunt, subinde salis fossicij quasi tabulata interponunt: atq; ita percoquunt fornace balneariorum, donec in carbonẽ redigantur. Postea trita ad tertias admiscẽt spicæ nardi quod satis est. Hoc cum eo quod candidos facit dentes, tum etiam cõfirmat, Augustã constat usam

ſtat uſam. Nã Meſſalina dei noſtri Cæſaris hoc utitur, cornorum cerui uſtorũ in ollam nouam ad cinerem redactorũ ſextario uno, maſtiches chiæ pondo uncia, ſalis ammoniaci pondo ſeſcuncia.

Ad fluorem gingiuarum. LXI.

SOlent gingiuæ quorundam, fluore infeſtari, quas prægnantes uocant. Proſunt eis lentiſci folia arida contuſa, & cribrata perforato cribro: facit & cinis eiuſdem lẽtiſci foliorũ ex aqua eiuſdem decocti. Compoſitum autem hoc medicamentũ prodeſt, qđ & ad omnia hulcera quæ in ore fiũt, utile eſt, ἀνθηρὰ à Græcis appellatur: recipit hæc: Aluminis fiſſi. ✱. p°. iiij. myrrhæ. ✱. p°. i. croci ✱. p°. ij. cypiri, id eſt, iunci radicis. ✱. p°. ij. gallæ. ✱. p°. i. roſæ lutei floris. ✱. pond. i. ſandaracæ. ✱. p°. iij. His omnibus rebus tunſis cretis, arido medicamẽto uti oportet per pinnam etiam ad παρουλίδας & ἐπουλίδας, id eſt, ubi ex tranſuerſo gingiua ſuppurauit: aut tonſillarum tumorem magnum, ut digito preſſius fricentur, uel ubi ſuper extremum mola-

rem increuerit gingiua.

Ad cancrum in ore. LXII.

Est & molestum interdum cũ cancer os corripit, quod initijs neglectum, breui spacio temporis mortis causa est. Oportet ergo, cum primũ uisum fuerit, antequàm latius serpat, faucesq; occupet, misy usto quamplurimo cum melle uti sæpius: deinde colluere aqua oleastri decocti subinde, aut corticis mali granati. LXIII.

Medicamentum Andronis prodest in omni parte corporis facto cancro, recipit autem hæc: Mali granati corticis ✱.p°.x. terræ mali.✱.p°.ix. aloës.✱.pon. iiij. myrrhæ.✱.p°.ij. gallæ.✱.p°.viij. aluminis fissi.✱.p°.iij. æris floris.✱.p°.duũ. Teruntur & cribrãtur sicca curiose: deinde admiscetur passum creticum dum habeat spissitudinem mellis: cum opus est, uino austero sumẽdum medicamentum est, uitro reponitur, diluitur. Facit hoc medicamentum ad carbunculos, & ad ignem sacrum, & ad zonam, quam Græci ἕρπετα dicunt.

Ad

Ad faucium uuæq; tumorem. LXIIII.

AD faucium uuæq; tumorem stomatice hac ferè utuntur, quia nullam aspritudinem habet, & satis efficax est. Vuæ amineæ acerbæ cum primum granum incipiet perlucere, succi sextarios quatuor, mellis attici sextariũ commisceto in unum, atque in æreo uaso coquito, subinde mouens, donec mellis spissitudinem habeat. LXV.

Altera eiusdem utor stomatice, cum diutius uexatæ partes antedictæ sunt: Aluminis fissi. ✱. pond. duũ, gallæ contusæ. ✱. p°. duum, omphacij aridi. ✱. pondo. i. croci. ✱. p°. i. passi cretici sextarius unus. Hoc decoquitur uaso fictili ad dimidias, & ita cætera diligenter trita admiscentur. Vtrunque autẽ medicamentum stagneo reponendum est uaso.

Ad suppurationem faucium. LXVI.

VBi uerò suppuratio faucium suspecta est, diutius permanẽte earũ tumore, & interdũ febriculis nõ sine horrore intercurrentibus, oportebit gargarizare quidẽ aqua mulsa crebrius, furfu

ribus siligineis decocta, uel passo ad dimidias decocto benè caldo, uti ore & faucibus diutius contineat, uel ea aqua, in qua ficus arida pinguis erit decocta: perungere autẽ fauces hoc medicamento, quàm tactus sustinere poterit pusillo pressius: Mellis optimi heminam, resinæ terebinthinæ. ✶. p°. duum, rosæ cyathos duos, resinã cum rosa in duplici uase, uti solẽt unguẽtarij, liquefacere oportet: deinde admiscere ei mel, & coquere donec spissum fiat medicamẽtum. Hoc etiam, cũ eruperit suppuratio, uti oportet: expurgat enim & explet idem.

Ad anginam. LXVII.

AD anginam prodest & sanguinis detractio, cucurbitarũ admissio, cæteraq; auxilia quibus medici efficacius utuntur. Medicamenta autem simplicia quidem hæc faciunt: laser cyrenaicum, si poterit inueniri: sin minus, syriacum aqua dilutum, crassius per pinnam faucibus adhibitũ. Item euforbiũ aqua dilutum. LXVIII.

Compositorum autem medicamentorum

torum hæc sunt apta. Fellis taurini, sa-
lis, aceti, mellis, olei ueteris, æquas
partes in unum miscere oportet, & cum
opus fuerit, pinna perfricare fauces di-
utius. LXIX.

Itẽ benefacit git frictũ. *. p°. duũ, py-
rethri. *. p°. i. sagapeni uictoriati põdus,
melle miscent̃ hæc in unũ trita. LXX.

Facit bene & hoc medicamentum:
Fellis taurini. *. p°. ij. elaterij, qui est suc
cus cucumeris syluatici. *. p°. i. cachry-
os animati. *. pond. i. tritum melle admi
xto reponitur. Cum opus est, dilutum
aqua tepida sumetur, & fauces perun-
gentur, coguntur'q; inde q̃ plurimũ de-
uorare. Soluit enim uentrem, & ita ue
hementissimè prodest. Item hoc medi-
camentum uehemẽtissimè prodest, mul
tos enim à summo discrimine mortis li-
berauit. Benefacit hirundinum pullorũ
cineris pondo quadrãs, hyssopi pondo
sextans, nitri. p°. uncia, piperis. p°. sem-
uncia, laseris pondo semuncia: his tritis
cretis, mellis attici quod satis erit admi-
scetur. Et hoc aũt cæteris medicamẽtis

ſæpius fauces, & preſſius fricare oportet. Multis & hoc profuit medicamentum, qđ eſt ſine dubio efficacius & uehementius: coſti, apij, aneſi, ſchœni, caſiæ rufæ, ſingulorũ. ✳. p°. binum, git. ✳. pon. i. amomi uictoriati. p°. unius, Zeę, quod eſt ſemen. ✳. p°. duũ, aluminis fiſſi ſemuncia, gallæ mediæ magnitudinis, numero. v. croci. ✳. p°. duum, crocomagmatis uictoriati pond. myrrhæ uictoriati. p°. Ariſtolochiæ creticæ. ✳. p°. iiij. cinnami. ✳. pond. iij. hyrundinum ſyluestrium pullorum cineris. p°. uncia, nardi ſpicæ uictoriati pondo. Hæc om̃ia ſiue contuſa, ſiue creta diligenter melle attico deſpumato comprehendantur. Cum autem opus fuerit, adijcietur quod ſatis erit eiuſdem mellis. Hoc Auguſta ſemper compoſitum habuit.

Ad uuæ tumorem & dolorem. LXXI.

VVam ſupprimit diu iacentem ſal ammoniacũ, galla contuſa, ęquis ponderibus. Eadẽ ratione aluminis fiſſi. ✳. p°. iiij. piperis albi. ✳. p°. i. quibus in unũ mixtis cochleario ter tacta reſilit.

Item

Itẽ herbæ cyclamini ſucco per cochlea-riũ ter die tacta, ac per triduum, nõ ſolũ reſilit ac fit minima, ſed etiam rarò ual-de moleſtat. Item ad uuæ tumorem & tonſillarum ſiccum & efficax medica-mentum: gallæ tuſæ. p°. uncia, æris flos pond ſemuncia, menarum ſine ouis quę ſunt, ſalſarum capita decem. Hæc com-buruntur, & ita cæteris admiſcentur ci-neribus, & poſtea nihilominus in unũ diutius teruntur. Oportet autem digito humido tangere medicamentum, & ſic uuam ab imo rectam diutius ſupprime-re ſurſum uerſum. Item aliud efficacius ad uuam diu iacentẽ, cyperi ſiccatæ be-ne. p°. quadrãs, myrrhæ. ℈. S. croci ſicca ti antè. ℈. r. ſandaracæ. ✳. pond. i. alumi nis fiſſi. ℈. S. æris uſti. ℈. S. Hæc omnia intũdũtur, cribrant̃, ac digito melle mi xto medicamentum ſumitur, & ita uua leuatur, ac tonſillæ preſſius fricãtur per triduum, aut ſi uoles, digito mũdo ſine melle curabis.

Ad tumorem & raucitatem arteriæ & uocis abſciſionem. LXXII.

AD arteriam exasperatam simplicia quidē hæc faciūt: commis alexandrina uel tragacanthū per se sub lingua retentum, compositio autē hæc est.

: infra compo x.

Deest compositio. LXXIII.

Ad tumorem arteriæ, papaueris syluatici iam maturi, uiridis tamen adhuc, capita quāplurima uase fictili conijciuntur, aquáque superfunduntur, ut supernatet duobus tribus'ue digitis. Hæc ubi triduo macerata fuerint, eodē uase coquuntur donec demadescant, postea exprimuntur capita, omnisq; aquæ percolatæ prius diligenter mensura capitur, ad cuius modū mellis attici quarta pars miscetur: deinde per duplex uas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. Hoc medicamentū ad arteriæ tumorē, & ad tussum facit. LXXIIII.

Altera arteriace ad fluorem & raucitatem arteriæ. Item ex ea ad tussim, & abscissum sonum uocis. Tragacanthi. * p°. vi. commis alexandrinæ. *. pond. v. myrrhæ. *. p°. i. thuris. *. pond. ij. croci *. p°. i. piperis albi grana. xx. cariotarū

recen-

recentium trium pulpas medias, detra-
cta exteriore cute, interioribusq́ uenis,
uel uuæ passæ nouæ & incorruptæ, pur
gatis interioribus granis. p°. viij. cõmis
& tragacanthũ passo cretico uno die &
una nocte macerari oportet, & postero
die pila & pilo mũdo cõtundere, & cæ-
tera trita mortario curiose admiscere.
Inde dare fabæ magnitudinem, globu-
lum sub lingua tenere deuorãtem quo-
ad liquefactum fuerit. Hoc medicamen
tum, pipere detracto, & ad tumorem ar
teriæ facit. Seruandum autem puxide
buxea. LXXV.

Arteriace qua melior non est, refer-
tur autẽ ab Asclepiade nostro: facit ad
omnia superius dicta efficacius, & quic
qd in arteria uitij est: cõstat ex his: myr-
rhæ optimæ pinguis. ✱. p°. xxiiij. traga-
canthi candidi. ✱. p°. xxviij. glycyrizæ
radicis. ✱. p°. xviij. resinæ terebinthinæ
ueræ. ✱. pond. xviij. tragacanthum sicut
est cõtundere, & per cribrũ tenuibus fo
raminibus eijcere oportet. Deinde myr
rham tritam seorsum admiscere, & rur-

ſus utraq; in unum diu terere, atq; ita in pilam conijcere, & ibi cũ concaluerint ictu pili terebinthinam paulatim miſcere, donec omniũ unitas fiat. Poſtea glycyrizam contuſam & cribratam, mortarioq; nihilominus tritam ſenſim aſpergere oportet. Vbi hæc bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant, & pilulas faciant magnitudinis fabæ. Fit enim duriſſima hæc arteriace, & hoc ipſo præcedit cæteras: quia linguæ ſubiecta nõ facilè ſoluitur, & ita diutius exhibet ſuum effectum.

Ad ſuſpirium. LXXVI.

AD ſuſpirium faciũt bene inter ſimplicia quidem acetum ſcillites, qđ uocãt, cochleario ter quatérue ſumptũ in die. Prodeſt & ipſa ſcilla argilla circundata, & furno cocta, purgatis exterioribus putaminibus, & quod tenerrimum eſt eius, mellis duabus partibus attici admixtum & tritum bene cochleario, ſemel in die bis'ue ſumptum profuit multis. Pulmo uulpis in olla fictili ad cinerem redactus, & datus menſura co-

chleario.

chleariorum triũ, cum aquæ calidæ cyathis tribus. Item pulmo cerui eodem modo factus & datus. LXXVII.

Prodest & hoc medicamentum euidenter: Aluminis fissi. p°. *. vi. opij. p°. *. i. aqua exigua opium diluitur, miscetur alumini antè trito, fiunt globuli ciceris amplitudinis, dantur ieiuno ante cibum quaterni aut quini. Hoc medicamẽtum & ad sanguinis eruptionem ex interioribus partibus facit, & ad ueterẽ tussim, & ad phthisicos, uel alios qui purulenta excreãt. LXXVIII.

Hoc quoq; medicamentum ad suspirium satis commodè proficit. Sulphuris uiui p°. *. i. nitri p°. *. selibra, abrotani qđ tribus digitis comprehẽdi possit. Hæc contunduntur, & teruntur curiose. Cum opus est, dantur ex his cochlearia duo cum duobus cyathis aceti calidi ieiuno. LXXIX.

Aliud medicamentum ad suspirium efficax ualde. Facit autem & ad lumborum diutinũ dolorẽ, & ad paralysin, & hydropicos, lienosos. Bryoniæ, id est,

albæ uitis radicis. p°. ✱. xij. iris Illyricæ p°. ✱. xij. ammoniaci guttę p°. ✱. xij. aspa ragi radicis . p°. ✱. vi. scyllæ bulbi crudi ex interiore parte, p°. ✱. xij. tragacanthi p°. ✱. vi. mel miscetur cõtusis & tritis donec ceræ mollis habeat temperaturam. Inde cum opus est, datur p°. ✱. i. cum aqua mulsa cyathis tribus uel quatuor.

Ad strumas & omnem duritiẽ in corporis quolibet loco. LXXX.

AD strumas bene facit radix cucumeris syluatici cocta ex aqua mulsa & trita, atq; ita imposita. Item ebiscũ eodem modo factum. Sed melius marini lepores oleo uetere necati faciunt, in plumbea puxide clusi, quã diebus quadraginta diligenter alligatã oportet habere. Postea ex ea, pinna oblinẽdæ sunt strumæ, superq; eas pellis lanata nõ nimium tonsa, tegendi gratia, imponenda est. Præcipere autẽ oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet, aut inquinatas prius quàm lauerit, ad os referat. LXXXI.

Ad strumas & ad duritias mammarũ

mirificè

mirificè facit antequàm ſuppurent, & poſt ſuppurationem nihilominus, hoc medicamentũ. Olei ueteris p°. dua, ſpumæ argenteæ pond. libra, gallæ ſyriacæ p°. triens, mannæ thuris p°. uncia, galbani p°. uncia. Cum oleo coquitur ſpuma donec cerati ſpiſſi habeat temperamenmentum, deinde admiſcetur ei galla, & ſecundum hanc manna: cum emplaſtri habet ſpiſſitudinẽ, tollitur ab igne medicamentũ: & cum deſinet feruere, paulatim galbanũ miſcetur, per minutas parteis linitur aluta cũ opus eſt. Hoc medicamentum ſoluitur tertio quartóue die ſi non ſuppurauerint ſtrumæ: ſed ſi apertæ fuerint, hyeme alternis, æſtate cotidie.

LXXXII.

Malagma ad ſtrumã & omnem duritiem mirificum. Idem ad mammarum muliebrium duritiam, & ad paniculas, & ad tubera, & cætera quæ ſubitò adnaſcuntur. Recipit hæc: Reſinæ terebinthinæ pond. dua, ceræ pond. ſemiſſem, propolis, quam quidam ceram ſacrã uocant, p°. ſeſcunciam, galbani p°. ſextan-

tem, olei ueteris. p°. ſelibrã. Hæc oĩa oleo ad ignẽ liquefacere oportet, & poſt ea miſcere uiſci de quercu pondo quadrantem, ammoniaci guttæ p°. quadrantem, ebiſci radicis aridæ p°. quadrantẽ, cypiri radicis, quẽ nos gladiolũ appellamus, p°. ſextantem, ferulæ pond. trientem, aphronitri p°. quadrantem, aſij lapidis florum p°. quadrantem, opopanacis p°. ſextantẽ. Hæc omnia ordine quo ſcripta ſunt cribrata, in cacabum conijciuntur, opopanax oleo diluit̃. Vbi temperatum eſt medicamentum, manibus ſubigitur, linitur cum opus eſt aluta.

Ad ſanguinis eruptionem. LXXXIII.

AD ſanguinis eruptionem, ſiue ex arterijs, ſiue à pulmone, uel pectore ea fuerit, benefacit ſymphyti radix, quam quidam Inulam ruſticam uocant, quidam autem Alum gallicum dicunt, lota aqua frigida, & raſa cultello eburneo uel oſſeo. p°. ſextantis, aut plus, id eſt, quantum poterit manducare & deuorare, neque enim amara eſt. Oportet autem eodem die acetum non guſtare,

quod

quod interdũ per ſe magnificè ſolet pro deſſe: ſed huius radicis effectũ reſoluit. Itẽ benefacit polygonij ſuccus cyathorum duorum aut trium per triduum repetitus. Et plantaginis & ſolani eodem modo ſuccus ꝓdeſt: & cretæ ſamiæ p°. *.i. ſumptũ ex aquæ frigidæ rigore detracto cyathis tribus. Prodeſt & herbæ quã τελιὸν uocãt, nos ut opinor, tiniariã, faſciculus, quantũ manu cõprehẽdi poteſt, in tribus heminis aquæ decoctus, & ad tertias redactus, ſi quis inde cyathos tres dederit ꝑ triduũ. LXXXIII.

Oportet autẽ extrà ſentienti uulnus, eo loco ſpongiam ex aqua recenti imponere, uel ex aceto acri, ac frequenter mutare ne concalefacta noceat. Et uetare artus conſtringere, quod pleriq; medicorum faciunt, ignorantes quod incitatur ſanguinis eruptio muſculorũ compreſſione. Quandoquidem omnis conſtrictio in utranq; partem exiget æquè ſubiectam materiam, ſicut utrem ſi quis mediũ laqueo cõſtrinxerit, animaduertet in utranq; partẽ excludere ſubiectũ

liquorẽ. Et ſi ſupèr foratus caſu fuerit, incitatiõe eiaculabitur quod in eo erit. Eadem ergo ratione cum ſanguis eruptus eſt, qui conſtringunt ui magna artus exprimentes, ſanguinem uenis ſubiectũ cogũt magis erumpi per uulnus, Huius rei argumentum eſt, ſi quis ſuper laqueum percuſſerit uenam in brachio, quæ eſt animalis, animaduertet æquè incitari ſanguinẽ ex ea parte, quàm ex inferiore loco cũ percuſſa eſt uena. Et hoc per ſe quidem ſi non uiderant medici, meritò eſſent culpandi, quòd negligẽtes in ancipiti caſu hominum eſſent. Cum præſertim Aſclepiades etiam pluribus uſus ſit argumentis in hac re: neq; ei quiſquam contradixit, quis enim aduerſus ueritatem hiſcere poteſt? Proinde magis ſunt cuſtodiendi qui pollicentur ſalutis cuſtodiã uniuſcuiuſq; ſe facturos. Tam inertes autem & negligentes neceſſaria quidem ad conſeruandam uitam humanam, quæ per aliorum laborẽ reperta ſunt, ſtudeãt ſcire. Meritò itaq; manifeſtè quidã iugulãtur genere quodam in-

dam in-

dã incitata eruptione ſanguinis ab eiuſ-
modi hominum imprudentia. Et, ô bo-
ne deus, hi ſunt ipſi qui imputant ſuam
culpam medicamentis quaſi nihil pro-
ficientibus, Sed ad propoſitum reuer-
temur. LXXXV.

Faciunt enim cõpoſita medicamen-
ta ad ſanguinis eruptionẽ, quorũ & hoc
eſt: Acaciæ ſucci, p°. unciæ, ὑποκυστίδος
qui eſt ſuccus roſæ ſyluaticæ, quam ca-
ninam quidam uocant, pond. unciæ, ba
lauſtiũ, quod eſt flos mali granati, quo
coriarij utuntur, pond. unciæ, opij p°.
ſemunciæ. Balauſtium cõtunditur, ſic-
catur, ſicco mortario teritur. Cætera pri
die macerata in aqua commiſcentur, &
diligenter paſtilli finguntur. Quidam
p°. *. i. quidã uictoriati denarij dant ad
ætatẽ cuiuſqꝫ, ex aquæ frigidæ remiſſæ
cyathis tribus aut duobus. Atqꝫ ille qui
dem paſtillus benefacit ad dyſenteri-
cos, id eſt, torminoſos. LXXXVI.

Alter paſtillus ad ſanguinis eruptio-
nem mirificè faciens. Tragacanthi. p°. *
ix. ſamiæ cretæ. p°. *. vij. ceræ ponticæ.

p°.*. ix. glycyrizæ ſucci (eſt autẽ radix dulcis) p°.*. v. Symphyti ſucci p°.*. xij. Cõmis pond. *. iiij. ὑποκυστίδος ſucci p°. *. vij. thuris pond. *. v. aluminis liquidi p°. *. ij. opij. p°. *. v. amyli. p°. *. vi. myrrhæ p°. *. v. croci p°. *. vij. plãtaginis ſucci. p°. *. iij. paſſi meconij quod ſatis erit miſcebitur, fiunt paſtilli. Alij p°. *. i. alij uictoriati dabunt ex aquæ tepentis cyathis duobus & dimidio.

Ad tuſsim ueterẽ, & deſtillationes, & ſuſpiria & inflationes, cum dura habẽt præcordia, & lienoſos, & phthiſicos. LXXXVII.

CAtapotiũ, id eſt, medicamentum quod non diluit, ſed ita ut eſt deuorat, ad tuſſim quæ cũ fluore eſt. Croci põdo unciæ, myrrhæ p°. ſextãtis, opij pond. quadrantis. Contunditur crocũ, percribratur, contuſæ myrrhæ opiũ admiſcetur aqua exigua dilutum. Poſtea adijcitur crocum, & cum in unum benè mixta ſunt, finguntur pilulæ erui magnitudinis. Dantur in nocte ternæ uel quaternæ. LXXXVIII.

Catapotium alterũ ad tuſſim aridam.

Myrrhæ, piperis, castorei, galbani, storacis, opij, singulorũ idem ponderis. Castoreum & piper contunduntur & cribrantur. Deinde myrrhæ antè tritæ cæteris contusis æquè admiscẽtur. Vbi omnium unitas mortario facta est, melle despumato medicamẽtum comprehenditur; deinde formãtur pilulæ uiciæ magnitudinis. Dantur ternæ uel quaternæ in noctem. LXXXIX.

Aliud catapotiũ ad tussim ueterẽ, suspiriũ, & phthisi tentatos, lienẽ, & iecur durũ habẽtes. Idem inflationẽ tollit, & purgat mulierẽ, si qua ex partu substiterũt. Styracis p°. ✱. vi. myrrhæ p°. ✱. ij. & uictoriati, opopanacis p°. ✱. ij. iris Illyricæ p°. ✱. ij. galbani p°. ✱. ij. resinæ terebinthinæ pon. ✱. v. alterci seminis. p°. ✱. i. nitri p°. ✱. i. piperis albi p°. ✱. i. opij p°. ✱. i. Irim, altercũ, piper cõtundere oportet & cribrare, nitrũ mortario terere, & cætera pilo commiscere, & postea hæc eis adijcere, atq; facere catapotia magnitudinis fabæ. Inde terna uel quaterna in noctẽ dare ad inflatiões in ipsa distẽtione cũ aquæ calidæ cyathis tribus. XC.

Paſtillus ad tuſſim, deſtillationem pectoris, pulmones, ad epiphoras oculorum, ueſicæ dolorẽ qui cum fluore conſiſtit, ubi ſæpius & non ſine cruciatu urinam faciũt. Item ad eos qui ſanguinem reijciunt, aut per urinã reddunt. Ad deiectionem, tormina, grauedinem, choleram, ſtomachi crebram nauſeam cum uomitu, ſine febre. Et quicquid reprimere & ſiccare oportet, optimè compeſcit. Præterea facit ad omnis partis corporis dolorem, præterea capitis: Quinetiam ſi quando aliquis hoc fuerit inunctus. Alij uitio non erit dandũ hoc medicamentum. Cum aũt ad omnia quæ ſuprà dixi, manifeſtè proſit, tum præcipuè ad initia phtiſim habẽtes benefacit. Multos enim eripuit ex magno periculo interdũ bis térue datus hic paſtillus: recipit hæc: Myrrhæ troglodytis pon. *. vi. croci. p°. *. v. opij. p°. *. iiij. thuris pond. *. v. alterci albi ſeminis. p°. *. iiij. apollinaris herbæ radicis corticis pon. *. iiij. Contunditur hic cortex per ſe, & cribratur tenui cribro: deinde crocum,

poſtea

postea altercum, myrrha, thus, quibus miscetur opium pridie aqua maceratũ: subinde aquæ exiguũ adiicitur, donec fingi pastilli possint pond. ✱. uictoriati. Alij tertia huius ponderis detracta, dantur in noctem ex aquæ cyathis tribus. Somnum faciunt, dolorem sedant, ut superius dixi Oportet autem ex eo etiam catapotia facere: quidam enim facilius ea quàm potionem sumunt, uerum non multum interest. XCI.

Ad eadem remissior quidẽ pastillus, sed non contemnendus, croci, myrrhæ, alterci, opij, pondera paria contusa miscentur, despumato attico melle fiunt pastilli eiusdẽ ponderis. Dantur ad ætatem eius tres in noctem: licet & hinc catapotia facere propter eandem causam, sed tunc aqua, non mel adijcit. XCII.

Pastillus ad tussim & sanguinem reiicientes, & stomachum solutum habentes facit, & ad deiectionẽ, & uesicæ dolorem. Apij semen pon. ✱. vi. alterci seminis p°. ✱. xij. anethi. p°. ✱. xij. opij p°. ✱. vi. croci p°. ✱. iij. rosæ foliorũ arefacto

rum in umbra p°. ✱. xij. myrrhæ pon. ✱. xij. Semina, & crocũ, & folia rosæ contunduntur, cribrantur, myrrha teritur: opium aqua maceratur: omnia in unum miscentur aqua adiecta: fiunt pastilli uictoriati pon. alijs tertia parte detracta. Dantur ad stomachum imbecillem habentes, & sanguinẽ reijciẽtes, ex aqua frigida cyathis duobus, cæteris ex calida totidem cyathis. XCIII.

Pastillus ex odoribus benefacit ad omnem dolorem. Propriè autẽ ad tussim. Item pectoris destillationem, & oculorum epiphoras. Facit & ad suspirium, & ad lateris dolorem, & ad phthisicos: & uesica, renibusq́ laborãtes, uel sanguinem ad urinam reddentes cũ dolore. Casiæ, cinnami, croci, singulorũ p°. ✱. iij. alterci seminis, apollinaris herbæ radicis, singulorum pond. ✱. iiij. piperis p°. ✱. ij. opij p°. ✱. iiij. thuris pon. ✱. iij. nardi spicæ p°. ✱. ij. Vino falerno cõtusa & trita utraque ut debent, consperguntur: fiunt pastilli uictoriati pond. Et alijs parte tertia detracta. Dantur in

noctẽ

noctē, prout uires ſunt, cū aquæ calidæ cyathis duobus aut tribus. XCIIII.

Medicamentum, quod per cochlearium deuoratur, benefacit ad tuſſim aridam, & eos qui difficulter glutinoſa excreant, & præfocari uidentur interdū. Sed præcipuè ijs qui lateris dolorē cum febre ſentiūt, quos Græci πλευριτικοὺς uocant. Liberat enim eos ab omni periculo. Hoc medicamentum Apulei Celſi fuit, præceptoris Valentis & noſtri, & nunquam ulli ſe uiuo compoſitionem eius dedit, quòd magnam opinionem ex ea traxerat. Eſt autem hæc quæ componitur tribus rebus his: Piperis nigri electi & pōderoſi granis duobus, myrrhæ troglodytidos pond. ✱. ij. mellis attici deſpumati libra. Piper contunditur diligenter & cribratur, myrrha teritur mortario curioſe: & poſtea utraque in unum miſcentur: deinde mel adijcitur. Dantur cochlearia quina uel ſena. Pleuriticis etiam plura ſæpius, & cū interuallo dare oportet: & maximè cum tuſſiunt, aut præfocari uidentur, &

difficulter ſpirant, ſiue noctu ſiue inter-
diu. Protinus enim excreāt ea quæ ob-
ſtant tranſitui ſpiritus, & tuſſire deſi-
nunt. XCV.

Alterum medicamentū ad tuſſim ari
dam. Naſturcij animati ſeminis pond.
uncia, alterci ſeminis p°. uncia, opij p°.
uncia, myrrhæ pond. uncia, croci p°. ſe-
muncia, ſulphuris uiui p°. ſemuncia, pi
peris albi p°. quadrans. Melle colligi-
tur medicamentum. Datur fabæ ægy-
ptiæ magnitudine ex cyathis aquæ tri-
bus in noctem. Facit autem hoc medi-
camentum ad lateris dolorem, & ad ſto
machi inflationem, grauedinem, cœlia-
cos qui ſubitò uniuerſa deijciunt. Pro-
deſt & dolentibus ſuperpoſitum & cir-
cundatū denti: & ſi exeſus eſt, in cauer-
nam eius inſertur. Tollit præterea hor-
rores febrem præcedentes: tum, cū hæc
circuitum certū habet, datū ante horā,
diutius corpore pfricato ex oleo calido.
Prodeſt & illis qui ſine horrore circuiti
bus febriū uexant̄. Quamobrē ἀλεξιπύρε-
τος hæc cōpoſitio dicitur. XCVI.

Aliud

Aliud ad tussim aridam, & glutinosa excreantes. Purgat etiã interaneas uomicas, suppurationes, lini seminis, urticæ seminis, nasturcij seminis, iris Illyricæ radicis, æqua pondera misceri oportet, & cum melle despumato, quantum satis sit: & frequenter oportet cochleario dare.

Antidotos hyera Pacchij Antiochi ad uniuersa corporis uitia, maxime lateris, & ad podagram. XCVII.

AD lateris dolorem, siue cum febre siue sine febre fuerit, cõpositio mirifica, nõ ignorata quidem ab antiquioribus propter effectus, sed præctpuè à Pacchio Antiocho auditore Philenidis Catinensis usu illustrata. Fecit eñ magnos quæstus ex ea propter crebros successus in uitijs difficillimis. Sed ne hic quidem ulli, se uiuo, compositionẽ dedit. Post mortem autẽ eius Tiberio Cæsari per libellum scriptum ad eum, & bibliothecis publicis posita uenit in manus nostras, quã antea nullo modo extrahere potuimus. Quãuis omnia feceri

mus, ut sciremus quæ esset. Ipse enim clusus componebat, nec ulli suorũ committebat: plura enim quàm recipit ipsemet contundi iubebat pigmenta, fallendi suos causa. Hãc postea nos sciuimus, quæ, ut sanè & libello ipse fatetur, non à se inuenta, sed usu exactiore comprobata ad quæ uitia, & cũ quibus, & quẽadmodum data proficeret. Etenim non ignota, ponderibus tamen antiquis aut adiecit, aut detraxit. Et res quæ in hac compositione sunt, non utique conueniũt ad antiquas. Iterdum enim earum quædã plures etiam numero accipiunt, atq; ideo non idem præstant, cum interim hæc mirifica temperatura cõposita mirificos effectus habeat. XCVIII.

Facit hoc uerò medicamentum non solum ad lateris dolorem, sed etiam ad plura uitia efficaciter. Quamobrẽ semper habeo id compositum. Percurram autem quambreuissimè, ad quæ uitia, & qualiter datum prosit, ut etiam in libello eius scriptũ est, & ego magna ex parte iam expertus sum. XCIX.

Sanat

Sanat ergo morbo comitiali corre-
ptos, quos ἐπιληπτικοὺς Græci uocant, furioſos, quos μαινομένους dicũt. Item ſa
nat quibus ſubitis tenebris obſcurantur oculi cum uertigine, σκοτοματικοὺς hos Græci appellãt. Nec minus diutino cor
reptos capitis dolore, quem κεφαλαργίαν appellãt. Prodeſt data p°. ✶. ij. ex aquæ mulſæ cyathis quatuor, cum remiſſi fue
rint. Et ſi frequenter quidem corripiun
tur, poſt binas ternáſue acceſſiones dan
da erit antidotos Hyera: hoc nomen em̃ tribuit ei duas propter cauſas, ut exi
ſtimo. Vnam, ne eius nomen uerũ di-
cendo, oſtenderet quæ eſſet. Dicitur enim à quibuſdã πικρὰ, quia amara eſt: à quibuſdam διακολοκυνθίδος. Alteram quò magis ſub tãta ſpecie nominis cõ-
mendaret medicamentũ. Sed ſi ex lon-
go interuallo acceſſionibus uexabun-
tur, in remiſſione dolorum ſæpius dan
dum erit medicamentum. Ita enim aut ex toto remedio eſt, aut certè minui-
tur quotidie impetus uitiorum & ſeda
tur, interualláque maiora accipit, &

hoc ipſo opportuniores fiunt ad uera-
tri potionem, qua maximè hæc uitia tol
luntur. Dare autem his oportet ſecun-
dum purgationem (bis anim aut ter ſpu
moſa & glutinoſa deijciunt) ptiſanæ cre
morem, olera lenia ex urtica & lapatho
malua facta, torpedine interdũ admixta
& cũ exiguo pane, aquamq́ꝫ potui. C.

Facit bene hæc compoſitio ad ſuſpi-
rium, & ad uocis abſciſionem, & ſubi-
tas præfocationes ex qualibet cauſa or-
tas, & ad eos qui ſæpius exiſtimãtur ab
incubone deludi. Vſqꝫ eò tamen uexan
tut, ut interdum uitæ periculum adeant
(eſt enim uitium non contemnendum)
utiqꝫ in proceſſa ætate. Quibus dandũ
erit medicamentum, proximo die eius
noctis qua correpti ſunt, cum interual-
lum à ſomno fecerint, & quod ſatis eſt
ambulauerint, ex aquæ hyſſopum aut
marrubium incoctum habentis cyathis
quatuor uel quinque. ✱. p°. i. uel unius
& uictoriati, prout res poſtulauerit.
Deinde poſt horas treis quatuor'ue cre
mor ptiſanæ detur. CI.

Facit

Facit & hoc medicamẽtum ad eos, quorum muſculi maxillares cum maximo dolore tenſi ſunt, adeò ut aperire os nullo modo poſſint, τετανὸν hoc uitium Græci dicunt. Item facit ad deprauatam faciem in utramlibet partẽ, κυνικὸν σπασμὸν hoc idem appellãt, genus morbi. Præcipuè uerò ad pectoris, & lateris dolores prodeſt ex qualibet cauſa factos, ſiue latente & occulta, ſiue manifeſta: ut ex ictu, caſu, conatu aliquo ſupra uires, uel ponderis ſupra modum portatione, uel contuſione, quæ frequẽter gladiatoribus accidere ſolet in luctationibus, & eorum maximè ſauciatis. Nec minus arbore alta delapſis, uel ſcalis deuolutis, excuſſis à rheda uel curriculo, atq; ita tractis. Sed his, id eſt manifeſta cauſa uexatis, cum aceti cyathis tribus quatuor'ue danda erit antidotos. Illis uerò qui ex occulta cauſa laborant, ex aqua mulſa proderit. Præterea neruorũ tenſionibus mirificè conuenit. Quamobrẽ facit & ad tremulos, & ſyderatione tentatos utralibet: una enim ex con

tractione, altera cũ remissione neruorũ conspicitur, παράλυσιν hoc utrunque uitium Græci appellant. Ad quod etiam cum correpti sunt prodest ex aquæ mulsæ cyathis tribus quatuor'ue datum medicamentum. ✱. p°. i. uel unius & uictoriati, admixto pondere uictoriati castorei. Prodest & ad articularem morbũ, quem ἀρθρῖτιν uocant, ad spinam, & totius lumborumq́ dolorẽ: ex aqua mulsa datur ad uires cuiusque. Item ad podagram benefacit: nam & in præsentia detractione ipsa leuat, & in futurum omni molestia liberat. Dimidio enim celerius sanantur qui acceperunt medicamentum, quàm prius solebant. CII.

Quid dicam? duritias in mãmis mulierum cum dolore consistenteis, quas nullum medicamentum leuat, quemadmodum ex toto imperpetuum interdũ sanat, quas plerique medicorum insanabiles adfirmant, καρκινώματα, & κακοήθεις appellantes. Poteram nominare honestas fœminas, quas aut ille, aut ego hoc medicamento sanauimus: nisi cre-

derem

derem fidem te habere nobis alioquin, ipſe tibi iam dixiſſem. CIII.

Illud uerò ſupra omniū opinionem eſt, quod ad ſtomachicos euidēter conuenit, cum ſit uiroſiſſimum medicamentum aduerſus ſtomachum, ne ad lenia quidem, & ſimplicia medicamēta aptè diſpoſitū. Sed uidelicet in eiuſmodi rebus potentior uſus ratione eſt: expertus enim unuſquiſque intellegit ſtomacho quoque hoc medicamentū eximiè prodeſſe. CIIII.

Remediat enim eos quibus frequenter inaceſcit cibus, & eos qui aſſiduè inflationibus urgentur, uel dolore eius uexantur, aut aſſiduè nauſeant, aut ſaliua abundant, uel inedia conſumuntur, ſtomachúmque ita ſolutum habent, ut ex eo uarios liquores ſubinde reſpuāt conſentiente capite, ut nullum genus cibi continere poſſint. Item ad bilem atram generantes, quos μελαγχολικοὺς appellant, benefacit. Oportet autem nō continentibus cibos ſecundū uomitum ꝑtinus oleo perunctis, & diutius preſſe

fricatis dare medicamentum. *. p°.i. ex aquæ cyathis tribus: deinde artus constringere, & interdum olfactarijs reficere, & commanducatione oliuarū contusarum, earumq́ꝫ rerum quæ stomachū constringere solent, interim subrectos recubantes, deinde cum deiecerint, solutis uinculis rursus perungere, & fricare totum corpus. Atqꝫ ita uarietate apta ciborum stomachum proritate, ut halica ex mulso, malorum cydoniorum succo facto, uel ex granatorum per se malorum, uel si quos magis delectat ex frigida posca: secūdū quæ, apala oua proderunt, & intubi cocti uel crudi ex aceto. Item lactucæ caules cum folijs ex posca decocti, conchula marina, purpuræ murices, pelorides, uolua pomorū, sorba mala orbiculata, scādina, pira, crustumina segnina olla reposita, item uuæ ex olla. Hæc em̄ & huiusmodi quæ sunt cōfirmāt stomachū, quibus & insequentibus diebus uti oportebit paulatim ad cōsuetudinē progredientē, donec propè om̄i molestia ægri liberentur. C V.

Est stomachi uitiũ quod cum siccitate & ardore eius, & inrequiebili (ut ita dicam) & inextinguibili siti consistit: ἄτονον Græci uocant, ab eo quòd exiccat omnem stomachi humorẽ. Scimus quosdam urnas aquæ bibisse, neq; ideo sitim aliqua ex parte in præsentia compescuisse. Ad hoc ✳. p°.i. uel uictoriati datum ex aquæ cyathis duobus frigidæ, ita prodest ut facilè abstinere ab aqua proximis diebus possint. Lienosis uerò ex posca, & iocinerosis duritiam habentibus diutinã ex aqua mulsa satis conuenit. Nec minus hydropicis, quibus datur eadẽ ratione. Sed his per complures dies oportebit ptisanæ cremorẽ sine ullo liquore dari. CVI.

Prodest cõpositio hæc & colo inflato, & cæteris intestinis. Futuras quoq; uel iam factas uomicas ĳsdem partibus aut discutit, aut celerius aperit. Itẽ menstrua mouet mulieribus, quæ difficulter purgantur. Dandum autem erit his ex aqua medicamentum. In aqua decoquitur herba que artemisia dicit᷑, aut quam

δικταμνον appellãt. Etiam ad papulas & sacrum ignem, uel quam zonam uocãt, benefacit ex aqua mulsa, detracto prius sanguine, si res postulauerit: ut & in aliis omnibus superius dictis faciendũ est. Omnia em̃ auxilia adhibẽda sunt, quæ ex usu prodesse eis comperta habemus: q̃a facilius adiuta antidotos adiuuabit, & effectus exhibebit. Recipit aũt hæc: Stœcados, marrubij, χαμαίδρυος, quæ herba similia quercus folia habet, agarici, cucurbitulæ syluestris, quam κολοκυνθίδα apppellãt, singulorum. ✱. p°. x. opopanacis, sagapeni, petroselini, terræ mali, piperis albi, singulorum. ✱. p°. v. cinnami, nardi spicæ, myrrhæ folij, croci, singulorum. ✱. p°. iiij. in unũ omnia ponderata contunduntᷣ & cribrantur. Præterea opopanaces & sagapenum: hæc enim mortario teruntur, adiecto melle tenui, id est, quamliquidissimo: deinde cæteris miscentur, quæ & ipsa recipere debent tantum mellis, quantũ satis erit ad comprehendenda, & cõtinenda ea. Reponitur medicamẽtum uaso uitreo.

Datur

Datur, ut suprà diximus, ad cuiusque ui res, & est prorsus sacrum, ut autor huius nominis appellat. CVII.

Si quando aũt efficaciore eo uoluerimus uti propter difficultatẽ naturalem uitiorũ, aut diuturnitatem, ut in furiosis aut comitiali morbo correptis, uel lumborũ perpetuũ dolorem habẽtibus, podagra correptis uastius, cucurbitæ syluestris adijcimus ad superius dicta pondera. ✱. p°. xx. opopanacis atq; sagapeni, singulorum. ✱. p° triũ. Quamobrem utraq; parata debent esse medicamenta: ut cum opus fuerit, usus alterutrius in promptu sit. Illud utiq; credas interim uelim mihi, dum in alijs expertus persuadeã, hoc medicamentũ non solũ nõ nocere stomacho, uerũ etiam reficere & cõfirmare eum supra omnẽ opinionẽ.

Ad stomachi dolorem & inflationem, & cætera uitia interius. CVIII.

MEdicamentum quod propriè aduersus solutionem stomachi facit & fluorem eiusdem: maximè uerò cum nihil cibi retinere possunt, sed quicquid

datũ est reijciunt. Masliches chiæ candidæ põdo libra, tragacãthi albi pondo libra, apollinaris herbæ radicis uncia. Cõtunditur tragacanthum cum radice; postea mastiche adijcitur. Reponitur in uitreo uaso. Dantur cum opus est cochlearia tria secundũ uomitum per se factũ ex aquæ frigidæ cyathis tribus.

Ad stomachi dolorem & inflationem. CIX.

PAlmarum. *. p°. xl. anethi. *. pond. iiij. croci. *. p°. duũ, git. *. p°. duũ, & asari. *. p°. duum, murti nigræ baccarum. *. pond. iiij. iuniperi grana numero uiginti. Cõtunduntur seorsum omnia, & in unum miscentur: deinde fiunt pastilli. *. p°. i. alijs uictoriati. Dantur ieiuno ex aquæ cyathis quatuor, aut ex cretico musto, qđ est passi genus. CX.

Medicamentum siccum ad stomachi inflationem, & dolorem, & inediam. Mouet urinam: ideoq; facit & ad hydropicos, & iecur durum habenteis, auruginem, quam quidã regium, quidam arquatum morbum uocant. Refertur in Musam Antonium. Recipit autẽ hæc:

Aloës

Aloës p°. aſſis trientem, croci, cinnami, nardi ſyriacæ ſpicæ, aſari, xylobalſami, maſtiches chiæ, ſingulorũ. ✱. p°. vi. Tunditur, & uitro reponit̃. Dantur cochlearia duo uel tria ex aquæ cyathis tribus.

Compoſitio. LXXII. *quæ ſuperius defuerat, hic ex Galeno. vij. de cõpoſitione medicamentorũ* κατὰ τόπους *citante Scribonium Largum ſic reſtituta eſt à Io. Ruellio.*

ALtera Scribonij Largi, quæ q̃d ſub lingua teneatur, ὑπογλωσσίς appellata, facit ad abſciſionẽ uocis: Radicis dulcis. ✱. p°. viij. myrrhæ. ✱. p°. xxiiij. terebinthinæ. ✱. p°. xxxij. tragacanthæ ✱. p°. xxxviij. ſingula ſicca ſeorſum tundito et cernito, reſinaq́ꝫ in pilam cõiecta excipito. Vbi in unitatem coierunt, in formulas digerito, quæ ægyptiæ fabæ magnitudinem æquẽt, & in umbra ſiccato: cumq́ꝫ uſus poſcet, unam aut alteram ſub linguã tenendã dato, ut illiqueſcens deuoretur. Medicamentũ oportet cum res exiget, celeriter effingere, ſiquidem confeſtim exiccari ſolet: quapropter in promptu terere cõuenit me-

dicamenta cum in paſtillos coges.
Hæc Galenus ex Scribonij Largi ſententia.

Ad cœliacos, & torminoſos, & uentris diutinum dolorem. CXI.

AD cœliacos, id eſt, qui ſubitò & multa deijciunt. Item & ad aluum citatam, & interdũ lenia tormina: Sorborum aridorum cõtuſorum ſextarius unus, rhus ſyriaci coquuntur ſextarij duo, malagranata recentia decẽ, item mala cydonia decem. Hæc utraque conijciuntur in ſapam factam ex muſti adhuc in dolio feruentis ſextarijs triginta ſex, ad duodecim ſextarios decoctã, donec malorum coria percoquãtur, ut ſint madida. Deinde terunt hæc fictili mortario, ut grana comminuantur, quibus deinde cydonia admiſcent, & æquè teruntur. Poſtea rurſus & ſorba arida admiſcẽtur cribrata curioſe ſapæ quæ reſidua eſt, & omnibus in unum bene coactis. Reponitur medicamentũ in uitreo uaſe. Dantur aũt inde ieiunis in diem ligulæ binæ uel ternæ per ſe. Sin aũt grauior morbus inſedit, hic datur. CXII.

Paſtillus

Pastillus ad cœliacos & torminosos optimè faciens: Balaustij hypocystidos pridie aqua macerati, p°. sextans, alterci seminis, cretæ samiæ, singulorũ p°. uncia, uino myrtite adiecto, fiunt pastilli ✱. p°. unius, aut uictoriati. Dantur ieiuno sine febre ex uino myrtite, aut signino, cyatho uno cum duobus aquæ mixto: febricitantibus, ex aquæ cyathis tribus. Hoc etiam, incitata libidine ipsius morbi, pastillus, siue plures diluti aqua calida, uino, oleo, per clysterem immittitur, statim somnus cõsequitur quoties desurrexerint torminosi, qui grauiter adflicti sunt, & utiq; prodest.

Alius pastillus ad torminosos efficacior. CXIII.

ACaciæ. ✱. p°. quatuor, croci. ✱. p°. duum, gallæ. ✱. p°. viij. hypocystidis. ✱. p°. iiij. lycij. ✱. p°. iiij. myrrhæ. ✱. pond. iiij. rus quo coqui utuntur, nardi spicæ syriacæ, aloës, singulorum. ✱. pond. duum, anesi, commis, singulorum. ✱. pond. quatuor, piperis nigri. ✱. p°. duum. Tunduntur, teruntur, cribrant ex succo cauliculorũ rubi, uel ex

uino ſignino collyrij tritura. Cum fue-
rint hæc lenia, aut ungui nulla pateat a-
ſpritudo, fingũtur paſtilli. ✱. p°. i. alijs p°.
uictoriati. Datur unus ieiuno ante meri
diem, alter in noctem ex aqua, ſi febres
erunt: ex uino ſignino, ſi ſincerè corpus
erit. Hoc efficax eſt medicamentũ, & ſi
cætera quæ debent, ſentiente eius uale-
tudine, rectè adhibita fuerint, utique ſa
nant. CXIIII.

Paſtillus item qui clyſterio immitti-
tur torminoſis per anum, cum ſordida,
& ſanguinolenta eijciunt, id eſt, cũ inte
ſtina eorũ cancer occupauit, quo quaſi
cauterio tunc tantũmodo uti oportet,
alioqui nocet. Ideoq; à quibuſdã igno-
rantibus eius uſus accuſatur, quaſi nocu
us. Recipit aũt hæc: Chartæ combuſtæ
cineris. ✱. p°. xxx. calcis uiuæ. ✱. pondo
xxiiij. ἀρσενικõ, quod eſt auripigmentũ,
✱. p°. xij. ſandaracæ. ✱. p°. ſex. Hæc trita
uino conſperguntur, in quo roſa & len-
tes prius incoquũtur, ut poſſint fieri pa
ſtilli. ✱. p°. duũ aut unius. Cum opus eſt,
teritur unus paſtillus, & immittitur per
aquam

aquam decoctam, rosam & lentem habentem, si febricitabũt: sin minus, ex uino eadem incocta habẽte. Facit & murti fasciculus cũ oleastri uel oliuæ ramulis, utrorunq; modo prout res exegerit, incoctus. CXV.

Potio autẽ, id est pastillus cũ immissus fuerit, medicamentũ sic conuenit in noctem: Myrrhæ. *. p°. duum, lycij. *. p° iij. thuris. *. p°. i. opij. *. p° duũ, aloës. *. p°. duum, acaciæ. *. p°. iiij. murti, baccarum nigrarũ. *. p°. xvi. ouorum ex aceto coctorũ uitelli duo. Hæc trita uino Surrentino consperguntur, & fiunt pastilli *. p°. i. Dantur febricitantibus ex aquæ cyathis quatuor, permixti Surrentini uini cyathis duobus. CXVI.

Ad εἴλεον, quod uitium est inflatio tenuium intestinorũ, facit bene galbani p° uictoriati, deuoratur in pilulas diuisum duas uel tres. Mouet & ructum, & interdum deijcit uentum deorsum, atque ita prodest. CXVII.

Ad idem uitiũ mirificè prodest hoc medicamentũ. Facit autẽ ad lateris do-

lorem, & ad omnem partem corporis, dauci seminis, panacis radicis, castorei, paria pondera, rutæ syluaticæ dimidiũ, tritis uel cõtusis mel decoctum adijcere oportet. Inde dare. ✳.p°.i. aut uictoriati ex aquæ caldæ cyathis tribus. CXVIII.

Facit & ad huiusmodi per anum immissum fœnum græcũ: id aqua bene coquere oportet, atq; inde sumere heminam. Itẽ in oleo domestico incoquere rutam quamplurimã, & hinc caldam heminã adijcere priori aquæ, quibus utrisque admiscere aphronitri triti sescũciã, et ita per clysteria caldã immittere. Hoc ego iam stercus per os deijcientẽ (quod si non mortiferũ est) sanaui unguentarij cuiusdam seruũ. Est autẽ uitium εἰλεος periculosissimũ, & ideo inter præcipua refertur. Quamobrem non utiq; cũ magna fiducia ad hoc genus uitij aggredi debemus.

Ad coli dolorem etiam uetustum compositionũ genera experta, quæ in totũ persanãt. CXIX.

AD coli inflationẽ benefacit cumini syluatici semen per se, ut est da-

tum

tum, quantũ cochlearia tria in aquæ caldæ cyathis quatuor. CXX.

Nam Caſſij medici colice bona multis nota propter effectus, uera hæc eſt, ut ab eius ſeruo Atimeto accepi, legato Tiberij Cæſaris: quia is eam ſolitus erat ei componere. Apij ſeminis p°. ſelibrã, aneſi p°. quadrantem, caſtorei p°. ſextantem, myrrhæ p°. quadrãtem, ſpicæ nardi Indicæ p°. ſextantẽ, opij p°. quadrantẽ, croci p°. ſeſcunciam, piperis longi pon. ſextantẽ, piperis nigri p°. ſextantem ſemunciam, petroſelini p°. ſextantẽ, ſchœni p°. ſeſcunciam. Hæc omnia contuſa cribrata, melle Attico decocta miſcentur. Datur ex hoc medicamẽto quantũ nux abellana media patet, ex aquæ cyathis tribus calidæ. In ipſis doloribus ſtatim prodeſt. Item medicamentũ cerati ex malabathro facit ex duabus partibus & ceræ unius mixtum, & extrà impoſitum in uentrem totum. Præterea benefacit & ad ſtomachi inflationẽ, & ad ſuſpirium, & ad iocineris dolorẽ, tuſſim, deſtillationem. CXXI.

Colice mirifica Iulij Baſſi, citò leuat: deinde tollit inflationes coli & omnis partis corporis. Facit et ad ſtomachi imbecillitates, & ad inteſtinorum alioqui dolorẽ, quẽ Græci στρόφον appellãt, ex aqua hyſſopũ, aut rutã decoctam habente. Itẽ benefacit ad ſanguinẽ, & ex interiore parte. Nõ em̃ patitur latè fieri nec intus uulnus cõuerti: ſed citò ſupprimit ſanguinẽ, et uulnus cogit coire. Dandũ autem his medicamentum ex aqua, πολιὸν coctum habẽte, aut rutam. Prodeſt & torminoſis, & cœliacis, datũ ex aqua centunculũ herbam incoctam habente, quam Græci γναφαλίδα dicunt, uel ſorba, uel ſiliquam ſyriacam. Lienoſis datur ex mulſo uel paſſo aquæ mixtis. Eodem modo dandum eſt & eis qui ſanguinem per urinam uel aluum reddunt. Nec minus etiam mulieribus quæ fluore ſanguinolento infeſtantur, quod ῥοῦν ἐρυθρὸν Græci dicunt, uel ex partu abortu'ue, quæ reſiduos uuluæ dolores habẽt: et in totum quibus ſupprimẽdus eſt fluor, aut ex aliqua parte corporis inflatio tol-

tio tollenda. Recipit autem hæc : Spicæ nardi, costi, piperis albi, piperis nigri, piperis longi, myrrhæ, opij, apollinaris radicis, & cinnami, asari, acori, thuris, brassicæ seminis, castorei, singulorum. ✳. p°. xij. opopanacis. ✳. p°. x. stœchadis, dauci, amij, singulorum. ✳. p°. xviij. seselis cretici. ✳. pond. xxiiij. mel atticum miscetur, datur non plus quàm. ✳. p°. aut uictoriati. Cæterũ prout cuiusque uires postulabunt, dummodo infra hoc pondus ex aquæ caldæ cyathis tribus in noctem secundũ cœnam. Hæc potio etiam febricitantibus tutò datur: sed cœliacis in ipso dolore prodest. Vitreo uase seruatur. CXXII.

Ad coli dolorem faciunt quidem mirificè quæ superius posita sunt: sed cætera medicamenta in alijs uitijs dolorẽ leuant in præsentia, hoc uerò quod dicturus sum, supra hominis spem conditionemq́ est. Ideo primo tẽpore ne fidem quidẽ habet, postea à nullo satis dignè laudari potest. Nam & in præsentia dolorem tollit, & in futurum remediat.

ne eum unquam repetat. Raro em̃ quis iterum, uel ad ſummum tertiò, hoc accepto medicamẽto, uexatus eſt. Quam obrem ſi quando repetierit iterum dolor, dandæ erunt per triduum & tunc potiones, eodem modo quo primæ datæ fuerint. Interdum & tertiò in dolore eodem genere potiones dabuntur: quod accidit poſt hanc, utique in futurum quoque remediatur, ita ut ne ſuſpicio quidem ulla relinquatur uitijs. Si quando tamen frigus, aut multitudo cibi præceſſerint, grauitatem quandam, & priorem eius loci ſine ullo dolore ſentiunt planè, ut intellegant quaſi quanto malo caruerint. Hoc medicamento muliercula quædam Romæ ex Africa multos remediauit. Poſtea nos per magnam curam compoſitionẽ accepimus, id eſt, precio dato quod deſiderauerat, & aliquot non ignotos ſanauimus, quorum nomina ſuperuacuum eſt referre. Conſtat autem medicamentum ex his rebus: Cerui cornua ſumuntur, dum tenera ſunt, quaſi in taleas breueis

diuisa, olla fictili componuntur, opercu
loq́; superposito, ex argilla undique cir-
cundata, fornace uruntur, donec in ci-
nerem candidissimum redigant: atq; ita
in uaso uitreo mundo reponũtur. Cum
dolorem habet aliquis, pridie quàm pò
turus est medicamentum, debet absti-
nere ab omni re: atq; ita postero die su-
mũtur ex cornibus cohlearia tria cumu
lata, satis ampla: quibus miscentur pipe
ris albi grana nouẽ trita, & myrrhæ exi
guum, quod odorem tantũmodo præ-
stare possit. Hæc cum in unum commi-
xta sunt mortario diligẽter, cochlea ue-
rò africana, id est, inde adlata sumitur q̃
potest amplissima, & uiua mortario cũ
sua testa cõtundit, atq; ut est teritur, do
nec nullũ uestigium appareat testularũ.
Postea uini falerni non saccati cyathus
adijcitur, & nihilominus rursus teritur.
Magis em̃ tunc apparent residendo am
plitudines, si quæ reliquæ sunt: quibus
leuatis, iterum adijciuntur cyathi duo
eiusdẽ uini, atq; ita prioribus bene ad-
miscentur: transfunditur' que cum his

quæ ſunt in mortario, calice nouo, & ſupra carbones imponitur, mouēte ali quo cochleario liquorem, ne quid ſubſidat, et peruratꝰ. At ubi bene incaluerit, inijciuntur in eundem calicem quæ ſuprà dixi cochlearia tria, & permouetur. Cum autem calore temperata & potio datur abducēda, ſtatim dolorem leuat. Hoc facere oportebit per inſequens biduum, capiētem cibi in prādio, aut alio tempore exiguū, quod facile conficiatꝰ, nę crudus ſumat medicamentum. Poſtèa in conſuetudine uictus ſui, qui colo infeſtabatur, dimittatur. Oportet tamen nō indifferēter remediatos in futurū uiuere: tametſi em̄ à coli dolore tuti ſint, metuere nihilominus debēt, ne alia parte corporis æquè adficiantur ad intēperantiā coli antequā remediati erunt.

Ad tumorem, dolorem iocineris & duritiem. CXXIII.

AD tumorem & dolorem iocineris, item ad duritiem facit bene lupi iecur primum in aqua feruenti dimiſſum, atq; ita arefactum. Quantū uictoriatorū

riatorũ pon. triũ ex aquæ caldæ cyathis tribus p aliquot dies dabis. CXXIIII.

Item benefacit ad duritiam iocineris ueterem cunillæ aridæ, quam satureiam quidam uocant, cõtusæ. ∗. p°. unius, uel uictoriati, cum mulsi cyathis duobus & totidem aquæ. CXXV.

Proficit mirificè hæc cõpositio ad tumorem, & ad dolorem cum duritia iocineris & lienis. Item ad renium dolorẽ benefacit. Nam colorem corporis restituit, qui propter uitia dictarum partium corrumpitur, pallidusq; conspicitur. Prodest hoc item medicamentum etiã ad aquæ mutationes: croci. ∗. p°. x. nardi. ∗. p°. duum, casiæ. ∗. p°. duum, costi. ∗. p°. i. schœni. ∗. p°. i. cinnami. ∗. p°. i. myrrhæ stactæ. ∗. p°. i. mellis optimi ∗. p°. xxv. Datur quantũ faba ægyptia, in musti mulsi cyathis quatuor. Vitreo uaso seruatur. CXXVI.

Ad iocinoris duritiã ueterem, hydropicos, lienosos, arquatos, & quibus opus est urina. Item ex partu residua mulieri purgat, & uuluæ dolorẽ tollit sic,

Anesi. *. p°. viij. dauci. *. p°. iij. petroselini, item iuniperi, item silis, tragacanthi, p°. selibra, panacis. *. p°. viij. iris, myrrhæ, costi, amomi, singulorũ. *. p°. vi. cumami. *. p°. iij. casiæ. *. p°. iij. smyrnij, quod est semen olusatri. *. p°. viij. nardi syriaci. *. p°. iiij. acori. *. p°. x. balsami seminis. *. p°. vi. opij. *. p°. v. erui moliti sextarij bes, scyllæ coctæ põdo triẽs, uini chij aut lesbij quod satis erit. Pastilli fiunt. *. p°. duum.

Ad auruginem. CXXVII.

AD auruginem, quod uitiũ arquatum quidã uocant, capreæ montanæ stercus arefactum & tritum, adiecta mica myrrhæ, ex uini meri cyathis tribus: si febricitabũt, ex aquæ totidẽ. Itẽ rumicis radices tres aquæ tribus heminis incoctæ, donec sextarius relinquatᷣ. inde cyathi quatuor per triduũ dantᷣ.

Ad lienosos ueteres & nouos impubium puerorum. CXXVIII.

LIenosis benefacit tamaricum longè à mari collectũ, & arefactũ, & cõtusum. *. p°. unius aut uictoriati, datũ

ex

ex aqua, uel ex posca. Prodest & inula arida cãpana eodẽ modo contusa & cribrata, ex uini mixti cyathis quatuor. *. p°.i.data. Mirificè facit & ammoniacæ guttæ.*.p°. uictoriati, cũ cauliculis tribus rubi ex aceto datũ per dies quinqꝫ. Tollit eñ ex toto duritiã. CXXIX.

Potio ad lienosos, balani qua unguentarij utuntur. *. p°.duũ, costi.*.p°. i. capparis radicis. *. p°.i. hederæ nigræ baccarum.*.p°.duum, πεζικλυμένου quam syluæ matrem uocamus.*.p°. uictoriati, galbani.*. pon. viij. cardami nigri, id est, nasturcij seminis.*.p°.duum, & uictoriati, piperis nigri.*. p°.i. scyllæ coctæ.*. p°. xij. Hæc omnia colliguntur scylla, fiunt globuli. Dantur.*. p°. duũ uel unius, ex melle & aceto mixtis cyathis quatuor aut tribus. Eadem facit ad hydropicos bene, ex aqua mulsa urinã mouet. CXXX.

Lienosos sanat extrà impositus sinapis sextarius unus detritus, adiecto sextario uno lẽtis aceto coctæ. Oportet aũt impositũ esse medicamẽtũ, donec dolorẽ pati

non possint: postea solio caldo dimittantur, ut plures eos contineant dum desinat dolor, aloquin exilient: maior enim fit dolor calda tactis, postea ceratũ ex rosa imponere oportebit. CXXXI.

Aliud eadem ratione impositũ melius facit. Sinapis sextarius, git cyathi duo, nasturcij cyathi quatuor, myrobalani corticis cyathi quatuor, piperis cyathi duo, sinapi aceto acri pridie maceratum, deinde tritũ, contusum cæteris misceтur: in panno inlitum medicamentũ imponitur, fascia quàm longissima alligatur plurimum in unum cõmissa, quò tardius soluatur. Hoc est efficacissimum, & multorum annorum tollit duritiam. Sed post hoc si quæ reliquiæ remanserint, ammoniaco tollendæ erunt & rubo. CXXXII.

Inflatibus lienosis dare oportebit aquam, in qua candẽs ferrum demissum, uel lac caprinum, capta tantũmodo hedera pasta. Proderit & his sinapis sicca, contusa, cerato mixta, extrà impositum & gypsum aqua cõspersum, & acetum

in quo

in quo tamaricum decoctum fuerit, uesica abditum, & ita extrà impositum.

Ad hydropicos. CXXXIII.

AD hydropicos, cum iam distenti sunt propter aquæ multitudinem (initiò enim alia uia prodest) benefaciunt chamæleæ, quæ herba est simillima oliuæ, folia quinque uel sex, etiam si arida fuerint, data ex aquæ mulsæ cyathis tribus, salis cocleario adiecto: largiter enim aquam ducit. Item squamæ æris, quam λεπίδα Græci uocant, pondo uictoriati, data cum apij seminis pari pondere ex aquæ mulso cyathis quatuor: plurimũ autem aquæ deijcit. Datur & radicis succus ex uini cyathis tribus mixtis. Oportet uerò secundũ purgationẽ spõgijs nouis totũ uentrẽ ex aceto & sale eiusdẽ mẽsuræ diluto & inferuefacto imponere, & constringere extrà institа longa, ciboscꝫ assæ carnis dare, cũ pane azymo, fricãtem totũ corpus sale, oleo paribus mẽsuris, uini meraci quod satis erit dantem. CXXXIIII.

Benefacit ad hydropicos hæc com-

positio, & maximè in initijs, quorum sufflatũ corpus est, ὑποσάρκα quod Græci uocant, uitis albæ radicis pond. xx. cocci cnidij. *. p°. iiij. scyllæ bulbi cocti detracta exteriore parte. *. pon. x. myrrhæ. *. p°. viij. cymini cyathis tribus, anesi cyathis tribus, uini falerni sextarijs duobus, passi sextario uno. Præter myrrham, omnia contusa, non cribrata, macerantur passo & uino, nocte & die: postridie colatur liquor, cui myrrha trita admiscetur, à quo cyathus datus à balneo alternis diebus, singulis adiectis cyathis, donec profectus intelligatᷣ. Oportet autem his diebus dare eis cibos assæ carnis agrestis, aut uolucrum, aut uinũ austerum meraculum.

Aluum mollientia. CXXXV.

QVoniam interdum res postulat et per aluum detrahi materiam, ut diutius lippientibus, secundum sanguinis detractionem, scabiem, ignem sacrum, papulas habẽtibus, & alia eiusmodi circa cutem summam, non alienum iudicauimus horũ quoqꝫ genus exponere.

Sed

Sed prius exponemus quæ aluum mediocriter molliunt, ſimplicia quæ ſunt.

Mollit ergo aluum herba mercurialis lenibus oleribus quamplurima mixta: item nitri uictoriati pondus, cum reſinæ terebinthinæ auellanæ nucis magnitudine deuoratur: calices quoq; eis incruſtentur, additis quinque uel ſex ſalis farrisq́; granis, apij ſeminis paribus menſuris: & is qui uinum nõ auſterum præbiberit, quãtum poſſit ante cibum, & inter prandium, uel cœnam, bellè aluum mollit. Item ouilli lactis ſextario ſi quis adijciat cnici purgati. ✶. p°. iiij. Mollit & uentrem quidem tribus heminis uini ut aloës uictoriati pondo, uel idẽ pondus duobus tribus'ue ſextarijs uini, & ita totũ per partes aqua mixtum bibũt. Videtur aũt uinũ uetuſtius uẽtremq́; cũ eo ſatis mollit. Facit autẽ aloë per ſe uictoriati uel. ✶. p°. ex aquæ cyathis tribus frigidæ uel calidæ ꝑductæ. CXXXVI.

Purgat ergo bellè chamælea, quæ herba oliuæ folia ſimilia habet: quorũ quinque uel ſex dare oportet, trita ex aquæ

mulſæ cyathis. iiij. frigidæ, ſi adſuetus erit: ſi minus, calidæ, adiecto cochleario. Detrahit em̃ aquam largiter. Biles purgat, & filicis radix lota & raſa, atq; in minimas particulas cõciſa, quãtũ placet aceto aſperſas cõdito, ut ſolet, ita cũ p°. quadrante cõſumpta. CXXXVII.

Bene purgat & hæc cõpoſitio: Aloës uictoriati pondus, colofoniæ uictoriati pondus: unà teruntur, adijcitur mellis quod ſatis eſt ad colligẽda ea. Datur ex aquæ calidæ uel frigidæ cyathis quatuor. Hoc medicamentũ ſtomachum non corrumpit.

Globuli mirifice purgantes, qui ut ſumuntur, ita integri deijciuntur, nec lædunt ſtomachum. CXXXVIII.

Colofoniæ. *. p° viij. bdellij. *. pondum, cõmis. *. p°. unius. Hæc trita ſucco lactucæ colliguntur, & finguntur pilulæ fabæ magnitudinis. Dantur paribus pilulis uſq; ad ſeptẽ, prout uniuſcuiuſq; uires patiuntur.

Globuli qui etiam cœnatis dantur, & efficiunt mane deijci quod ſatis ſit. CXXXIX.

Colofo-

COlofoniæ. ✶. p°. iiij. aloës. ✶. p°. iiij. tragacanthi. ✶. p°. duum. Hoc pridie aqua maceratur, postero die cæteris admiscetur: fiunt inde globuli fabæ magnitudinis. Dantur à tribus usque ad septem, prout cuiusque uires patiũtur. Stomachum nullo modo uexant.

Ad tineas & lumbricos necandos. CXL.

AD tineas necandas, eijciẽdas, per triduum allium plurimũ edat, & ueteratũ caseum mollem, secundũ hoc filicis Macedonicæ cõtusæ, aridæ & cribratæ. ✶. p°. viij. cum melle quantũ ipse uoluerit consumat. Post horas quatuor detur ei aloës & scamoniæ, singulorum uictoriati p°. ex aquæ mulsæ cyathis quatuor: cũ cœperit desurgere, aqua calda supponatur. Licet & sine oleo pridie incœnato dare utraque medicamẽta. CXLI.

Ad lumbricos satis cõmodè facit & sandonica herba quæ nunc uiget, & cornum ceruinũ limatũ lima lignaria, quantum quatuor uel quinque cochlearia ex aquæ mixtorum decoctorũ cyathis tribus, pridie maceratum, deinde tritum,

& datum, aqua exigua adiecta.

Ad prolapsionem & libidinem nimiam desurgendi extremi intestini. CXLII.

TEnesmos est iritatio ultimæ partis directi intestini, in quo ultimo sæpius libet desurgere sine caussa. Proderit ad hoc quoties desurrexerit, uino austerissimo & aqua calida fouere, uel uerbenis & murti & oliuæ ramulis, factis ita, ut duæ partes murti sint. Quinetiã penicillũ intinctũ, & nõ nimis expressum, ex alterutro eorum ano expositum proderit habere, uel eodem modo glomus staminis albi: diutius enim uaporẽ cõtinet. Perungundus erit anus specillo lycio, patarico, uel indico. Vel hoc collyrium iniiciendum, quod ad omnẽ deiectionẽ, & tormina benefacit: Acaciæ, mali granati corticis usti, singulorum. ×. pon. iiij. hypocystidis, rhois quo coriarij utuntur, opij, singulorũ pondo sena, omphacij pondo quatuor & uictoriati, croci. ×. p°. iiij. uino austero colliguntur: fiunt collyria magnitudinis nucleorum pineorum.

Ad

Ad renium tumorẽ & exhulcerationem, etiam si sanguilentã urinam faciant. CXLIII.

AD renium tumorem, & exhulcerationẽ, etiam si sanguilentã urinam faciant, rosæ aridæ foliorum, papaueris nigri seminis, nucleorum pineorũ paria pondera, contunduntur seorsum, & in unum miscẽtur: inde datur quantũ nucis iuglandis, ex passi cyathis duobus, et aquæ cyathis tribus. CXLIIII.

Alia ad reniũ dolorẽ potio, quæ etiã quasi arenã sabulosam detrahit. Apij seminis, petroselini, anesi, singulorũ. ✶. p°. xvi. dauci seminis. ✶. p°. iiij. schœni. ✶. p°. vi. croci. ✶. p°. trigintaduum, mellis quod satis uidebitur. Dantur quantum lupinus ex mellis ligula, & aquæ cyathis. iiij. Ad reniũ tumorem & dolorem facit eadẽ, & ad iecinoris, et ad lienis tumorẽ, ad eos qui mali coloris ꝓpter hæc sunt uitia: itẽ aquæ mutationes. Croci. ✶. p°. x. nardi indici. ✶. p°. duũ, casiæ. ✶. p°. ij. costi. ✶. p°. i. cumami. ✶. p°. unius, myrrhæ stactes. ✶. p°. unius, mellis optimi. ✶. p°. uigintiquinq;. Dantur quantũ

fabæ ægyptiæ, ex mulsi cyatho, mixto aquæ duobus, uel mulsæ aquæ cyathis tribus. CXLV.

Si cui autem lapis in renibus innatus fuerit, & urinam nõ faciet, medicamentum his rebus fieri debet: Petroselini p°. ∸. anesi p°. ∸. dauci seminis p°. z. git p°. ∸. cinnami p°. z. schœni pon. z. croci. ɔ. v. apij seminis p°. ɔ. vi. Hæc omnia tusa, creta, melle attico despumato p°. ij. z. colliguntur, & medicamentum uitro condunt. CXLVI.

Ad tumorem & dolorem uesicæ, & exhulceratione benefacit aqua, in qua ferrum candens demissum est. Hoc ego traxi ab aquis caldis quæ sunt in Tuscia ferratæ, & mirificè remediant uesicæ uitia. Appellantur itaq; uesicariæ, quondam Milonis Gracchi prætorij hominis optimi ad quinquagesimũ lapidem reddentis. CXLVII.

Ad tumorem & dolorẽ uesicæ, & ad eos qui difficulter urinam reddunt: Alterci seminis, apij seminis, maluæ seminis, cucumeris edulis seminis purgati, singu-

ſingulorum. ✱. p°. vi. amygdalorum dul
cium purgatorũ, nucleorum pineorum
purgatorum, ſingulorum. ✱. p°. iiij. opij.
✱. p°. i. croci. ✱. p°. unius & uictoriati,
paſſo contuſa conſpergũtur. Datur hoc
medicamentum. ✱. p°. i. ex paſſi cyathis
duobus, & aquæ totidẽ. CXLVIII.

Ad ueſicam exhulceratam, nucleorũ
amygdalorum uictoriati pondus, cu-
cumeris edulis ſeminis purgati cyathus
unus, aneſi cyathus, papaueris nigri. ✱.
p°. iiij. croci. ✱. p°. unius, palmas cario-
tas. ꝑ. triginta. Has macerari oportet in
paſſi ſextariũ unum, atq; conterere, his
adijcere cætera: ex eodem dare nucis iu
glandis magnitudinem ex paſſi cyathis
tribus. CXLIX.

Ad ſanguinem cum dolore per uri-
nam reddentes: Aluminis fiſſi pondo
uncia, tragacanthi pondo ſextans. Tra
gacanthum ex alumine trito cogitur in
paſtillos uictoriati põdo: hinc uiciæ ma
gnitudine detractum datur ex paſſi cya
thus tribus.

Ad calculoſos experta. CL.

AD initia uetuſtáue comprimenda, & emẽdanda benefacit ad calculoſos herba σκολοπένδριον, quam nos calcifragam appellamus, bellefacit contuſa. ×. p°. i. ex aquæ cyathis tribus per dies triginta, eodẽ modo ἱερὰ βοτάνη, quã nos uettonicam dicimus. Item eodẽ genere datur tantum, licet aũt aqua earum decocta uti cotidie ieiunũ. ×. p°. unius, cum aquæ cyathis tribus. CLI.

Multos cum admiratiõe effectus audiui narrantes, Cai Iuli, naſci in lapidicinis beſtiolas adhærẽtes ſaxis quaſi uerrucas: has quinque ex aquæ cyathis tribus ſuffundere, & per urinam extrahere lapides certum eſt. CLII.

Ad calculoſos, cucumeris ſeminis, dauci, aneſi, apij, petroſelini, myrrhæ, ſingulorum. ×. p°. trium & uictoriati, caſiæ, daphnidis, cinnami, nardi, ſingulorum. ×. p°. unius, aqua colliguntur, fiunt paſtilli lupini magnitudinis. Ex aqua dantur cyathis tribus per dies quadraginta. Hoc medicamentũ cum componitur,

nitur, pilum ligneum ſit, qui contundi-
tur, anulum ferreum non habeat. Hanc
enim ſuperſtitionem adiecit Ambro-
ſius medicus Puteolanus, qui adfirma-
uit multos ſe hoc medicamento ſanaſſe.
Detrahere autem dixit poſt diem ſepti-
mum fragmina quædam lapidum quaſi
arenam. CLIII.

Ad calculoſos, lienoſos, hydropicos,
urinam detrahit, lapidẽ extenuat: Eryn
gij, pyrethri, ſaliuncæ, calcifragæ, ſin-
gulorum. *. p°. xxv. ebuli, ariſtolochiæ
ſingulorum. *. p°. oxymyrſinæ, quæ ſco
pa regia uocat̃, ſucco hæc omnia cõtuſa
ligno, colliguntur, fiunt paſtilli. *. p°. i.
Dãtur autem ex aceti & mellis cyathis
tribus. Calculoſis illecebræ quantũ ma
nus capit, aut auriculæ murinæ idem,
aut betonicæ tantundẽ: earũ quælibet
herba ex aquæ tribus heminis ad tertias
decoquit̃, inde ſumuntur cyathi tres, &
eôdem adijciũtur uini cyathi duo, et ni-
tri uictoriati pondo, atq; his dilutũ me-
dicamentum datur p°. i. per dies, xlv.

In arenam soluit lapidẽ, & hydropicis ex mulsi mixti cyathis tribus dandũ est.

Ad lumborum dolorem diutinum, & paralysin. CLIIII.

D lumborũ dolorem, cucurbitæ syluestris floccorum, aut seminis ✳.p°.duum, brathys. ✳.p°.i. salis. ✳.p°.i. Fiũt catapotia melle decocto adiecto. Valentibus tota datˉ cõpositio, imbecillioribus aũt dimidia. Sed manè ꝑ clysterem aluus ducenda, ouorum albis temperatum. CLV.

Ad lumborum dolorem & paralyticos, cucurbitæ syluestris. ✳.p°.iiij. pyrethri. ✳.p°.iiij. myrrhæ. ✳. pon. duum uel unius. Dantur ex passi cyathis tribus: licet hinc catapotia fieri, dũ idem ponderis deuoretˉ. Sed & his aluus acri clysmo manè trahenda est. CLVI.

Ad lumborum dolorem & paralyticos antidotos Hiera Pacchij Antiochi melius omni medicamẽto facit. Sed ad paralysin mirificè hoc acopum facit, qđ oportet in sole diu fricare, aut loco flamma præcalfacto. Olei sabini. ✳.p°.xxv.

cucume

cucumeris syluatici recentis radicis.*.
p°.xv. Hæc radix magnitudine nucis iu
glãdis concisa uaso fictili nouo ex oleo
coquitur, donec succum omnem remit
tat, & quasi arida sit: post hoc adijcitur
per linteũ uel colum transmisso oleo, in
quo adijcitur dum calet, ceræ ponticæ
in frusta redactæ pondo libra, olei lau-
rini pondo libra, olei cyprini pondo li
bra, olei lilij pond. libra, olei ueteris p°.
dua, piperis albi contusi, & per cribrũ
tenuissimũ transmissi. *. p°. as. pyrethri
contusi, & per idem cribrum transmis-
si. *. p°. unius. Hæc in unum miscentur,
reponuntur uaso fictili. Facit præterea
ad lumborũ, & ad omnem dolorẽ cor-
poris, & præcipuè neruorũ. Muliebres
locos durissimos mollit, cũ diu alijs me-
dicamẽtis nihil profectũ est. CLVII.

Ad lumborum dolorem malagma
quod propriè facit: Picis liquidæ sexta-
rios duos, olei ueteris sextarium unum,
resinæ terebinthinæ sextariũ unũ, cæræ
p°. libram & triẽtem, magmatis p°. bes-
sem, aphronitri p°. trientem. Coquitur

pix cũ oleo, donec ſpiſſa fiat, & poſt eã adijcit̃ ei reſina, deinde cera, & ſecundum hãc ex interuallo magma. Vbi habet emplaſtri figurã medicamentũ, tollitur ab igne cũ tepere cœperit, & apharonitrũ aſpergitur ſenſim, ne ſuperfundatur quod in cacabo eſt.

Ad podagram. CLVIII.

AD podagrã caldam cũ feruore, & tumore rubicũdo, quam caldã uocant, benefacit primis diebus herba urceolaris, item caſeus mollis recẽs per ſe, poſtea herbæ ſalis puſillum admiſcere oportet. Item facit apiũ uiride per ſe & cum polenta. Nec minus ſolanũ, portulaca, plantago, ſpongia uel rhodia, uel africana mollis ex aqua frigida, lana ſuccida ex roſa & uino. Subinde autẽ hæc omnia mutare oportet prius, quàm excalefiant. Prodeſt & omentũ caprinũ. Item faba molita cũ ſuis ualuulis ex aceto cũ melle diluto cõſperſa & impoſita, ducit enim ſanguinem, & dolorẽ leuat. Benefaciũt & mala citria ꝗmaxime cocta, ex aceti ſextarijs tribus, donec madida fiãt:

dā fiant: q̄bus tritis adiĳcit̄ aluminis fissi p°. uncia, myrrhæ p°. sextās. Bn̄facit & aloë aceto diluta, & per pinnā pedibus inducta. Itē opiū lacte muliebri dilutū. Mirificè uerò hoc facit cataplasma, id est, superpositū medicamentū. CLIX.

Tollit em̄ triduò dolorē lomenti hemina, feniculi seminis cyathi duo, polentæ tenuis cyathi duo. Cōmiscentur hæc in unū contusa, molita, trita, deinde conspergunt̄ aqua pluuia: et ita temperant̄, ne durū sit medicamentū, aut aquatū nimis. Impositū protinus leuat, triduò tollit dolorē. Hoc cōstat, si quis ter in mense inter denos dies usus fuerit, in nocte non laboraturum. CLX.

Ad frigidā podagrā, quæ sine tumore et rubore cōsistit, cataplasma: Piperis nigri moliti hemina, feniculi seminis cōtusi hemina. Coquunt̄ ex aqua: utraque ubi tēperata sunt, adiĳcit̄ axungia suilla, & dū calet, pāno spisso inducto medicamentū imponit̄. Benefacit ad idē genus & lini seminis, & fœni græci seminis, farinæ ordeaceæ, singulorum bini sextarĳ, cribrati in unum commiscentur;

inde coquere oportet quod ſatis erit ex aqua & oleo: ſubinde calidum cataplaſma etiam imponere. Ad hos benefacit & hybiſci radix ex aqua mulſa cocta & impoſita. Item ſabucum cum axungia uetere tritum & impoſitum. Adiectus & braſſicæ cinis cum axũgia, uel ſemen caulium. Vbi autem impetus ceſſauerit & in hoc, & in priore genere podagræ, calda aqua marina diu fouẽdi ſunt: uel, ſi hæc non erit, aquæ puræ feruenti ſalẽ adijcito, pòſt epiphemate uti oportet, quod ad parotidas ſcriptũ eſt. Tollit enim citò reliquias per ſudores, & in futurum confirmat neruos, nec patitur facilè uitiari. CLXI.

Scio quendam hoc quaſi acopo medicum uſum in noctem, nec poſtea tentatum podagra, cum antè diu eſſet uexatus. Lanam ſuccidam pondo libra, uini ueteris ſextario diu lauabat: deinde expreſſam reijciebat: uino autem reſiduo adijciebat aphronitri uſti põdo ſextantem, olei ueteris p°. libram: reponebat in oleario fictili: utebatur, ut ſuperius di-

rius dixi, in nocte. Multis ꝓfuit ad corpus in duplici calceo pellem caninam habere. CLXII.

Ad utramlibet podagram torpedinem nigram uiuam cum accesserit dolor, subijcere pedibus oportet, stãtibus in littore non sicco, sed quod alluit mare, donec sentiat torpere pedem totum & tibiam usq; ad genua. Hoc & in præsenti tollit dolorem, & in futurum remediat. Hoc Anthero Tiberij libertus supra hæreditates remediatus est.

Genera medicamentorum, & demonstrationes serpentum ictus, morsusq;. CLXIII.

VT sis tutus, etiam si quando rus secesseris, ponã theriacarũ compositiones, id est, ad serpentũ morsus, atq; ictus medicamenta. Sed prius quæ cognita habui remedia, ne cui serpẽtes noceãt, dicã. Habere ergo incinctũ oportet peucedanum, uel cerui cum captus est, in oculi angulo, qui est ad nares uersus, quæ inueniuntur sordes uirosi odoris, has Siciliæ uenatores diligenter colligunt, & habent in cincto propter an-

tedictam causam. Idem præstat & hiera botane, & trifolium acutum, quod ὀξυτρίφυλλον Græci appellant: nascitur & hoc Sicilæ plurimum, nam in Italiæ regionibus nusquàm eam uidi herbam, nisi in Lunæ portu cum Britanniam peteremus cum deo nostro Cæsare, plurimum super circundatos montes. Est autem folijs, & specie, & numero similis communi trifolio, nisi quod huius pleniora sunt, & quasi lanuginem quandã super se habent, & in extrema parte uelut aculeum eminentem. Sed huius frutex duorum pedum interdum, aut etiã amplior cõspicitur, & odorem grauem emittit, quorum nihil circa patrense trifolium inuenitur. Sed utrasque superius dictas herbas, quas cum inueneris, pridie notare oportet, & circũscribere sinistra aure fruges aliquas ponentem, atq; postero die ante solis ortũ sinistra manu uellere, ita illigatas habere. CLXIIII.

In Africa, aut sicubi scorpiones sunt noxij, stellionem aridum incinctũ oportet habere. CLXV.

Theriace

Theriace prima. CLXV.

THeriace facit ad omniũ ſerpẽtium morſus, & ictus, & adflatus. Mirificè eadem prodeſt & ad contuſiones, & ad conuulſiones interiorum partium laterisq́ ex qualibet cauſa, & pectoris dolores. Vitis albæ radicis põdo octo, trifolij acuti ſeminis, quod & ipſum in extremo aculeũ habet, uel eiuſdem radicis trepõdo, panacis p°. iiij. terræ mali. ✳. p°. v. rori marini radicis. ✳. p°. iiij. laſeris. ✳. p°. iiij. gingiberis. ✳. pond. iiij. rutæ ſyluaticæ. ✳. p°. ſex. cumini thebaici. ✳. p⁹. iij. myrrhæ. ✳. pond. iij. cumini æthiopici. ✳. p°. v. caſtorei. ✳. p°. iij. eryngij radicis. ✳. p°. iij. ſerpylli. ✳. pond. iij. erui albi ſeminis moliti. ✳. p°. xij. Chio uino conſperguntur contuſa ac trita: fiunt paſtilli. ✳. pond. unius, aut uictoriati. Dantur ex uino mero uetere, uel ex mixto, uel aqua: quæ ſi non fuerint, per ſe commanducandus erit paſtillus & deuorandus.

Theriace ſecunda. CLXVI.

ALter paſtillus ad eadẽ facit: Cinna

mi. *. p°. iiij. serpylli. *. p°. iiij. staphisagria, quam herbã pediculariã quidam uocãt, quòd pediculos necat, à quibus hoc nomen trahit, seminis. *. p°. iij. & uictoriati, piperis albi. *. p°. vi. peucedani lactis. *. p°. viij. & uictoriati, glycysidæ nigræ seminis, quam pęoniam Græcorum quidam appellant. *. p°. unius & uictoriati, terræ mali. *. p°. triũ, nasturcij seminis. *. p°. iiij. cachryos. *. p°. duũ & uictoriati, castorei. *. p°. duum, saliũcæ *. p°. quinque.

Hic nonnullæ desunt compositiones: Theriace tertia ad aspidem, Theriace ad uiperæ morsum propriè, Antidotos Zopyri, & media pars antidoti mithridatij, quarum aliquæ hic ex Galeno secundo antidotorum restituuntur à Io. Ruellio.

Altera Theriace etiam ad aspidem. CLXVII.

ANtidotos altera ad aspidis morsum siue præsumpta, siue pòst data: gentianæ. *. p°. iiij. trifolij. *. p°. iiij. seminis eiusdẽ. *. p°. duũ, polij. *. p°. iiij. mali terræ. *. pond. duum, peucedani radicis, galbani, singulorum. *. p°. duum, petrose-

petroſelini. ✱. p°. iiij. rutæ ſyluaticæ. ✱. p°. trium, pyrethri. ✱. p°. unius, herbæ pediculariæ, quã uocant σαφίδα ἀγρίαν, tantundem, maceris. ✱. p°. iij. uitis albæ radicis. ✱. p°. duũ, piperis candidi tantundem, ammoniacæ guttæ. ✱. p°. unius & uictoriati, acori. ✱. p°. iij. uarbaſci, aiugæ idææ, chamæleæ, marubij tenuis, conyzæ minoris, cumini æthiopici, lachrymæ papaueris, caſtorei, feniculi ſeminis, agarici, caſiæ rufæ, ſchœni, ideſt iunci odorati floris, radicis ponticæ, ſingulorum. ✱. p°. ij. dauci cretici. ✱. p°. i. & uictoriati, opopanacis tantundẽ, ſagapeni. ✱. p°. ij. & uictoriati, abrotoni. ✱. p°. i. & uictoriati, ſtyracis dictamni, ſingulorũ. ✱. p°. unius & uictoriati, cinnamomi, nardi, ſingulorum. ✱. p°. iij. myrrhæ ✱. p°. iiij. thuris. ✱. p°. unius, croci. ✱. p°. viij. aneſi. ✱. p°. unius, cyrenaicæ lachrymæ. ✱. p°. i. hinnuli coaguli. ✱. p°. iij. mellis attici, qđ ad ea excipiẽda ſatis ſit: inde ſumit̃ nucis abellanæ tuberculo. Sic pręſumpta à morſu tuet̃. Hæc cõpoſitio ad Antipatrũ autorem refert̃. CLXVIII.

Ad uiperæ morſum propriè.

Non reſtituta. CLXIX.

Antidotos Zopyri ad lethalia uenena & omnem ſerpentis ictum efficax, ratio componendi hæc eſt: Opobalſami. ✱. p°. trium, nardi indicæ, myrrhæ, troglitidis, iunci rotundi floris, cinnamomi, characiæ, coſti recentis, piperis longi, hypocyſtidis, piperis nigri, ſcordij, meu cretici, cardamomi, ſingulorum ✱. p°. iiij. thuris maſculi, opobalſami, dictamni, ſingulorũ. ✱. p°. vi. petroſelini, caſiæ rufæ, ſingulorũ. ✱. p°. vij. croci coricij. ✱. pond. viij. mellis attici quod ad ea colligenda ſatis ſit. Datur abellanæ nucis magnitudine, ſi febris abſit, ex uino, febricitantibus ex aqua mulſa. Prodeſt etiam ſanguinem excreãtibus, cœliacis, iocineroſis, lienoſis, & renum dolore uexatis, emortuos fœtus & ſecundas hærentes trahit. CLXX.

Antidotos mithridatis recipit hæc: Meu. ✱. pon. duũ, lachrymæ papaueris pondo uictoriati, ſtyracis. ✱. p°. viij. polij, caſiæ nigræ, ſeſelis, bdellij, piperis albi, ſin-

bi, singulorum. ✱. p°. v. & uictoriati, hy-pocystidis succi, myrrhæ, thuris mascu-li, castorei, piperis lōgi, cyphis, maloba-thri foliorū, singulorū. ✱. p°. vi. scordij, costi, singulorum. ✱. p°. vi. & uictoriati, nardi syriaci. ✱. p°. vi. dauci cretici. ✱. p°. vi. & uictoriati, croci, cinnami, gingibe-ris, singulorū. ✱. p°. vi. succi radicis dul-cis, agarici, singulorum. ✱. pond. vij. & uictoriati.

Hæc defuerant in compositione: sequentia in ponde-ribus & mēsuris & effectibus mithridatij com-positioni, quæ est apud Galenum citato loco, consentiunt.

Acori. ✱. p°. duū, phu. ✱. p°. i. sagapeni ✱. p°. ij. iris Illyricæ. ✱. p°. ij. balsami semi-nis. ✱. p°. duum, rutæ syluaticæ. ✱. p°. ij. gētianæ. ✱. p°. ij. anesi. ✱. p°. trium, thla-spis. ✱. p°. vi. & uictoriati, rosæ aridæ. ✱. p°. iiij. mysi. ✱. p°. iiij. acaciæ ✱. p°. trium, commis. ✱. p°. duū, cardamomi. ✱. p°. ij. schœni floris. ✱. p°. vi. & uictoriati, opo-panacis. ✱. pondo sex, opobalsami. ✱. pond. sex & uictoriati, galbani. ✱. pon. sex, & uictoriati, resinæ terebinthinæ

*. p°. sex & uictoriati, rubricæ lemniæ *. p°. vij. melle attico & uino chio conspergito, donec habeat spissitudinē mellis. Reponitur uitreo uase. Dandũ autem est his qui malum medicamentum sumpserunt, fabæ ægyptiæ magnitudine, ex uini meri, si poterit, cyathis sex: sin minus, mixti meracius cyathis quatuor cotidie. Et à serpente læsis danda erit. Ex mulso autem, quorum iecur durum est, aut arquati sunt, & quibus alioquin urinã mouere studemus. Sed fabæ nostratis magnitudinis tussiētibus, oculis laborantibus, latus dolentibus: cæterum magnitudine ciceris cęliacis. Prodest enim & his uiciæ magnitudo ante accessionem febriũ, tetanicis, opisthotonicis, spasmo correptis. Adiuuat enim eos lupini magnitudine, sed cum aquæ cyathis tribus.

Antidotus Apulei Celsi. CLXXI.

ANtidotus Apulei Celsi præceptoris, quam quotannis componebat, & genere quodam publicè mittebat Centuripas, unde ortus erat, quia in

Sicilia

Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes. Fa- cit enim ad horũ morsum protinus qui- dem data per dies triginta, ita ut aquæ, id est, liquoris timore nunquam tentetur: qui cũ accidit, summo cruciatu ad mor- tem eos compellit, quos ob antè dictam causam ὑδροφόβους Græci appellant. In ipsa autẽ correptione uti oportet ea, da- ta cũ rosæ cyathis tribus & exigua aqua ✱.p°.i. Hoc proficit, ut aquam postea si- ne timore sumant, & minus quidem li berati hac difficultate cruciantur. Cæte rum nemo adhuc correptus hoc malo, quantum ego scio, expeditus est. Quan quàm peruenit ad me opinio, esse in in- sula Creta barbarum quendam naufra- gio appulsum, maiorẽ natu publicè mer cedem accipientem. Quinetiam cum li quore timẽt, & latratus edũt, spasmoque uexãtur: remedium, brachio sinistro alli gato efficere, ut & potionẽ accipiãt, & liberentur uitio: quod adhuc ante anti- dotum Celsi inter omnes quasi insana- bile constitit.

CLXXII.

Hoc ego cum quærerem ab hospite

meo legato inde miſſo, nomine Zopy-
ro, Gordienſe medico, qd eſſet pro ma
gno munere accepi. Dixit autẽ hyænæ
corij particulã eſſe panno inligatam: qđ
ego adhuc non ſum expertus, quamuis
ꝓtinus magna cura hyænã inuenerim,
& pellẽ paratam habeã: quia nõ incidit
ex eo quiſq;, & opto quidẽ ne incidat:
ſed quia id nõ eſt in noſtra poteſtate, ſi
caſu inciderit, remediũ habere oportet
ad tantæ rei experimentum. Antidotus
autem Celſi hæc recipit. CLXXIIII.

Nardi ſyriaci, croci, myrrhæ, coſti, ca
ſiæ, cinnami, ſchœni, piperis albi, pipe-
ri lõgi, caſtorei, galbani, reſinæ terebin-
thinæ, opij, ſingulorũ. ✳. p°. iij. alterci al
bi. ✳. p°. ij. aneſi. ✳. p°. i. apij ſeminis, tra-
gacanthi, ſingulorũ, ✳. p°. ſex, mellis atti
ci ſextariũ unum, uini falerni unciã. In
hoc maceratur tragacanthũ & opiũ pri
die: poſtero die cõtuſis cæteris, miſcent̃
in melle galbanũ & reſina, fictili patel-
la ſuper carbones impoſita reſoluuntur:
deinde arida aſperguntur, & ſi opus eſt
adijcit̃ mel: & ut cerati teneri ſpiſſitudi-
nem habeãt, & rurſus patella ſuper ignẽ

imponit, mouẽturq; quæ ſunt in ea, ſpa-
tha fraxinea. Coquitur medicamẽtum,
donec crocinum habeat colorẽ: ultima
quæ ſunt uino macerata adijciunt: uaſe
uitreo antidotus reponitur. Datur fabæ
ægyptiæ magnitudine ex aqua. Facit
aũt etiã ad ſtomachi omẽ uitiũ, et præci
puè quod cũ fluore cõſiſtit. Facit & ad
oculorũ epiphoras, & ad tormina, & ad
coli inflationẽ, iecinoris, pectoris dolo-
rem, tuſſienteis, aduerſus mala medica-
mẽta omĩa, ſerpentiũ morſus uel ictus.
Oportet aũt locũ morſum à rabioſo ca-
ne, uel à ſerpẽte diu tenere in exhulcera
tionem: neq; pati cicatricem ducere, ut
uirus illa pertrahatur. CLXXIIII.

Extrà itaq; ea ſunt imponẽda, quæ etiã
ſana corpora exhulcerant, ut alliũ, lepi-
diũ, celidoniũ, batracium, ſinapis, ſcyl-
la, cepa cũ aceto. Optime facit & per ſe
caprifici liber per ſe cõtritus & impoſi-
tus hulceri. Itẽ laſer per ſe.

Compoſitio emplaſtri. CLXXV.

EMplaſtrum antidotum, ſed mul-
to magis emplaſtri huius uis facit,
quo Auguſta propter huiuſmodi caſus

habuit compoſitum, & multis profuit.
Accepimus à Triphone præceptore no
ſtro: Iris Illyricæ. *. p°. v. caſtorei Ponti
ci. *. p°. v. caprificus lactis aridi. *. p°. v.
canis nigri adipis. *. p°. viij. eiuſdem ſan
guinis. *. p°. x. reſinæ terebinthinæ. *. p°.
viij. leporis coaguli. *. p°. iiij. ſalis ammo
niaci. *. p°. duum, laſeris ſyrenaici. *. p°.
duum, aut ſyriaci. *. p°. iiij. ceræ ponticæ
*. p°. xxxvi. olei ueteris cyathi duo, ace-
ti ſcillitis cyathi tres. Arida ex aceto te-
runtur: quæ liquefieri poſſunt, oleo ad
ignem liquefacto miſcentur, mortario
tritis & temperatis in mellis ſpiſſitudi-
nem. Vitreo reponitur.

Antidotus Caſſij. CLXXVI.

ANtidotus Caſſij medici facit ad-
uerſus toxicum potum. Eadem ſi
quis uenenato telo percuſſus eſt. Præ-
terea ad om̃is ſerpẽtis morſus aut ictus.
Præcipuè ad canis rabioſi morſus, bis
die ſumpta. *. p°. unius, ex aqua mulſa.
Facit ad pectoris & lateris dolorem, &
tuſſim, & omnia interanea inflatiõe, a-
lioq́ dolore, aut quouis correpta. Nar-
di

di spicæ syriacæ.*. p°.iij. costi.*.p°.iij. cinnami,gẽtianæ,casiæ,myrrhæ,singulorum.*.p°.trium,croci.*.p°. triũ, uuæ passæ purgatæ.*.p° duum,schœni.*.p°. duum, opobalsami. *. p°. duum,mysis, dauci,singulorũ.*.p° duũ,cumini æthiopici.*.p°. duum,acori.*.p°.iiij.& uictoriati,asari. *.p°. unius & uictoriati, petroselini.*.p°.unius & uictoriati, piperis longi.*.p°.i.& uictoriati,piperis albi.*.p°.unius & uictoriati, phu pontici seminis.*.p°.trium, rapæ seminis.*. p°. iiij.nardi folia.*.p°.iij. scyllæ uictoriati *.p°.pondus, feniculi seminis.*. p°. iiij. mellis attici quod satis erit, ad uenenum & ad serpentes,ex uino:ad cæteros dolores interaneorum, ex aqua.

Antidotus Marciani medici. CLXXVII.

ANtidotus Marciani medici, cui quia nihil deest, τελεῖα dicitur græcè, id est perfecta. Facit ad omnia hæc uitia,ad quæ superiores antidoti om̃es. Hoc Augusto Cæsari componebatur. Cinnami.*.p°.viij.amomi.*.p° vi.casiæ nigræ.*.p°.xxv.croci.*.p°.xvi.schœni

.p°.v. thuris..p°.v. piperis albi.*.p°. duo, myrrhæ.*.p°.x. piperis lõgi.*.p°.x. nardi indicæ.*.p°.x.S. nardi celticæ.*. p°.xvi. rosæ aridæ.*.p°.vi. costi albi.*. p°. duũ, opobalsami.*.p°.iiij. laseris cirenaici uictoriati põdus, uel syriaci.*.p°. i. stœcados.*.p°. sex, gentianæ.*.p°.v. trifolij acuti radicis.*.p°.iiij. uel eiusdẽ seminis.*.p°. triũ, scordij.*.p°.x. polij *.p°.v. asari.*.p°. duum, acori.*.p°.iij. phu.*.p°.iij. misy.*.p°. duum, dictamni *.p°.xij. ammoniaci guttæ.*.p°. trium, agarici.*.p°. duum semis, balsami seminis grana. p̃.xx. petroselini.*.p°.vi. et uictoriati, rutæ syluaticæ.*.p°. trium semis, feniculi seminis.*. pond. trium semis, dauci cretici.*.p°.iiij. anesi.*.p°. duum, cumini æthiopici.*.pond. duũ, rapæ seminis.*.p°.v. & uictoriati, napi syluatici seminis.*.pond. trium, anatis fœminæ recentis.*.p°.ij. anatis masculi sanguinis aridi.*. pond. iij. hœdi masculi sanguinis aridi.*.p°.iij. testudinis marinæ sanguinis aridi.*.p°.vi.S. anseris masculi sanguinis aridi.*.p°.iij.

mellis

mellis attici qđ ſatis erit. Facit ad omīa: hæc ego cōpoſita habeo. CLXXVIII.

Quoniam antidotos, quas optimas ſciuimus, poſui in facientibus ad omne malum uitium: aliud medicamentum etiam ex multis rebus, ſimplicia quoque medicamenta, & propria remedia monſtraui. Interdum enim hæc melius aduerſus quædam, quàm antidotos faciunt. Trademus autem ſingulorum malorum medicamentorum epotorum ſigna, quò facilius intelligatur, qđ quiſque ſumpſerit, & qua ratione adiuuari debeat.

Ad cicutam. CLXXIX.

CIcutam ergo potã caligo, mẽtisq́ alienatio, et artuũ gelatio inſequitur, ultimoq́ præfocãtur qui eam ſumpſerunt, nihilq́ ſentiunt. Adiuuari autem debẽt in initijs uino mero ſubinde quamplurimo caldo, & per ſe, & cum pipere, & cum ſtyrace poto. Atqui maximè prodeſt lac aſininum datum: ſi minus, uaccinum, aut quodlibet. Oportet autem & aluum acri cluſtere ducere

eorum, & extrà super uẽtrem imponere farinam ordeaceam, uel triticeam coctã ex uino caldam.

Ad opium. CLXXX.

OPium potum, quod quidam meconium uocant, ab odoris grauitate intelligitur: papaueris enim uiridis, cuius succus est, qualitatẽ repræsentat. Facit autem capitis grauitatem, gelationem & liuorem artuum, sudoresq́ꝫ frigidos manare. Præterea spirationẽ impedit, mentem soporat, sensus'que abalienat. Adiuuari porrò debẽt qui biberunt, aqua cum oleo in uinũ admixtis, sæpius datis, & frequenter reiectis per pinnam aut lorum uomitoriũ. Prodest & uini cyathus, & passi & olei cyathus eadem ratione datus. Item uinũ & acetum pari mensura datum ex aqua mulsa cum rosa eius mensuræ, ita ut ista subinde cogãtur reijcere. Præterea caput rosa & aceto sine intermissione curet, eorumq́ꝫ pedes adsiduè fricentur manibus siccis, aut linteo aspro inuolutis. Prodest & sinapi ex aceto tritũ, circundatũ

pedibus

pedibus cruribusq́, & à somni tempore prohibere ne obsopiantur.

Ad altercum. CLXXXI.

ALtercum, quod Græci ὑοσκύαμον uocant, qui biberũt, caput graue uenisq́ distentum habent, mente abalienabuntur cum quadam uerborũ altercatione, inde enim hoc nomen herba trahit altercum: postea sopiuntur, & omni sensu carent, liuiscẽtibus membris eorum. Adiuuantur autẽ lacte poto asinino quãplurimo, uel quolibet alio recenti per se, uel decocto. Sed ij prius aqua mulsa sæpius pota cogãtur per pinnã reijcere. Opio læsi similiter curent.

Ad gypsum. CLXXXII.

GYpso poto stomachus, uẽterq́ dolore uasto urgetur, frigidus sudor subsequitur, oculi sanguilenti conspiciuntur, urina alba redditur, concrescit in aliqua parte uentris quod potum est, & tactu quasi saxum percipitur. Adiuuari autem debent qui his malis uexantur, lixiuio è sarmentorum cinere facto quamplurimo poto. Item aqua thymũ,

aut origanum decoctum habente.

Ad spumam argenti. CLXXXIII.

SPuma argentea pota, quam Græci λιθάργυρον dicunt, uentris infert grauitatem, inflammationem, postea dolorem cum urinæ difficili exitu procedente tempore: coloris quidem quasi plumbei sunt: præcipuè hæc deformitas circa faciem deprehenditur. Suppurãt autem plurimæ partes eorum. Adiuuãtur secundum reiectionẽ aqua mulsa, acriq; curatione, pipere, myrrha, apij semine, põdere pari in unũ mixtis, ex eoq; medicamẽto. ✱. p°. unius dare cum uini cyathis tribus quatuor'ue cotidie potis.

Ad cerussam. CLXXXIIII.

CErussa, quam Græci ψιμμύθιον uocant, qui biberunt, facilè deprehenduntur, linguam enim albam habent, commissuras'que dentiũ albicantes. Præterea nauseant, reijciunt poto medicamento, caligant, magis magisq; uertigine quadam urgentur. Postea spiritus uia intercluditur, & præfocantur. Adiuuantur autem post uomitum ab o-

leo,

leo, uel ab aqua mulſa, cremore ptiſanæ caldo largiore accepto, ſed bene uncto. Item lacte cũ melle poto. Facit & mal ua diſcocta, conciſa, ſale & oleo pipereḉ condita, & pro ſorbitione data per ſe, uel cum urtica, herbaḉ mercuriali. Proſunt & nucleorum perſicorum inte riora ex uino trita atḉ pota quampluri ma. Item lixiuia calda ex cinere ſarmen torum facta.

Ad coriandrum. CLXXXV.

COriandrum datum apparet quidem ab odore ſpirationis totiusḉ corporis. Redolet enim & hoc herbam ut infectum. Intelligitur autem ex guſtu. Facit porrò raucitatem, & mentem mouet. Adiuuari autem debent qui biberunt, ex uino mero atḉ plurimo, uel aqua marina, uel muria dura pota. Item ouis anſerinis ſorbilibus plurimum ſalis habẽtibus, uel iure gallinaceo, agninoue quampinguiſſimo, & ſalſiſſimo per ſe poto.

Ad leporem marinum. CLXXXVI.

LEporis marini guſtus nõ abſimilis

illotis piſcibus, aut etiã putentibus: qui ſumpſerunt autem, ſtomacho ueſicáq; adficiuntur, ita ut urinam quidem diffi-culter, & cum dolore, purpureiq; colo-ris reddant. Stomacho item tento & do lenti ſunt, auerſoq; ab omni eſca, præci-puè piſce. Nauſeant præterea & ſubin-de reijciunt ſpumoſa, interdum bilioſa aut ſanguilenta, & maximè cum ſimula uit, aut nominauit aliquis piſcem. In ſo-mnis littoris pulſi fluctus uidentur ſub-inde audire. Oculi eorum exhulceran-tur, genæ inflantur. Coloris mali, & ue-luti plumbei fiunt, minutatimq; per ta-bem quaſi phthiſici conſumuntur. Adiu uari autem debent hoc malo circũuen-ti, lacte muliebri, uel equino, uel uacci-no, aut aſinino quã plurimo cotidie per ſe, aut cũ melle ſumpto. Prodeſt & mal uæ ſorbitio benè uncta & ſalſa. Itẽ pro-ſunt malorum punicorũ grana adſiduè data. Benefacit & pix cedria, ſi quis in-de bina, ternáue cochlearia eius ſumpſe rit per ſe, uel ex paſſi cyathis duobus tri bus'ue. Item benefaciunt iuniperi tritæ quam-

quãplurimo cũ passo, aut per se datæ.

Ad salamandram. CLXXXVII.

SAlamandra quibus data est, lingua exasperatur, corpus inualidum fit: præter hoc torpet rigoribus quibusdam & liuoribus quasi maculis uariať. Adiuuari autem debent quibus impacta est, melle quamplurimo per se, uel cum resina ex pinu, cuius etiam tenera folia cũ herba quam Græci χαμαιπύθυν appellant, decocta ex aqua mulsa prosunt. Item lini seminis farina ex aqua mulsa sumpta quamplurimum bene adiuuat.

Ad aconitum. CLXXXVIII.

AConiti gustus est auster atq; subamarus. Potum autem protinus facit corpus graue & displicens. Mordet autem stomachum & cor adficit: itaque sudor e uestigio insequiť, multus & frigidus, maximè circa oculos & frontem apparet. Inflantur intestina, & uẽti plurimum emittunt, qui biberunt, capitisq; dolorem habent cum uertigine quadam adsiduè quidem, sed præcipuè cum se è lectulo leuare conantur. Proprium est

autem huius mali medicamẽti protinus liuidos articulos & artus facere. Sed adiuuantur facilè qui id ſumpſerunt, ruta quamplurima pota cum uino: item iure gallinæ pinguis uel bubulæ. Prodeſt & his uinum chamæpythyn decoctam in ſe habens, item acetum melle mixtum, in quo ferri ſtercus, quod σκωρίαν Græci uocant, uſtum, prius inferueſcat ſæpius, & ita detur. Item proficit abrotoni pondo ſextans ex uino datum, & origani pondo ſextans eodem modo datũ. Præcipuè autem adiuuabit, ſi quis coagulum leporis, hinuli, & porci in unum miſcuerit, & dederit ex uini hemina aut cyathis tribus. ✳. pond. i. uel uictoriati pondus.

Ad cantharidas. CLXXXIX.

CAntharides guſtum & odorẽ ſimilem pici è cedro factæ habent. Potæ ſtomachi dolorem, morſusq́ꝫ excitant, præcipuè ueſicæ. Quamobrẽ qui biberũt eas, difficulter urinã & cum ſanguine reddunt, exhulcerata ſcilicet ueſica: præterea animo ſubinde linquuntur

deficiunt

deficiuntq́; . Adiuuantur autem cum sæpius reiecerũt, paſſo cum oleo poto uel omni lacte, ſed debent plurimũ eius ſumere. Itẽ proſunt eis nuclei pini per ſe ſumpti, uel ex aqua mulſa, aut ex paſſo triti & dati. Item cucumeris ſemen purgatum, & lini ſemen ex paſſo datum. Adiuuat bene & ius pingue agninum, uel ex bubula factum, & farina triticea pultis more cocta, plurimũ anſerini adipis habente. Prodeſt & ſamiæ cretæ. *. p°. iiij. cũ paſſi cyathis quatuor mixtisq́; aqua datum. Item oleum irinum ex ruta tritum & potum.

Ad bupreſtim. CXC.

BVpreſtis guſtus eſt nitri ſimilis. Facit autem tumorem ſtomachiq́; infinitum dolorem, & inflat totũ corpus in ſpeciem hydropici. Adiuuãtur aqua ficus aridæ decoctæ, & ipſa ficu plurimum ſumpta. Item paſſo plurimum & lacte muliebri, & iure ſuillo pingui accepto, & nitri. *. p°. iiij. cum aquæ hemina dato, & cæteris quæ ſupra ad cantharidas ſcripta ſunt.

Ad dorycnion. CXCI.

DOrycnion guſtum quidem habet lactis, potum uerò ſingultus crebros facit, & uomitus frequenter concitat. Reijciunt autē ab ſtomacho ramenta, quæ etiam ſimillima torminoſis, ſubindeq; animo deficiuntur. Adiuuari autem debent læſi eo, lacte aſinino, equino, bubulo, conchilijs omnibus crudis atq; decoctis.

Ad Ixiam. CXCII.

IXia, quam quidam chamæleonta uocant, odorem habet, cū ſumitur, ocymi: pota autem linguæ tumorem facit. Mentem abalienat, uentremq; & omēs naturales exitus ſupprimit. Adiuuātur autē læſi ab ea, abſinthio poto cū uino. Item caſtorei, ✱. p°. ij. dato ex uino cyathis quatuor, & rutæ fruticibus quinq; uel ſex. Facit bene & chamælea. ✱. p°. triū, ex uini cyathis tribus aqua mixtis, nec minus radix laſeris ex uino data. Tragoriganum eodem modo datum.

Ad ephemeron. CXCIII.

EPhemeron potū protinus quidem

totum

totũ os prurire facit uelut ſcylla tactũ, poſtea etiam adurit quaſi pipere manducato, ſecundum hæc quoq; ſtomachum mordendo exhulcerat: atq; qui id biberint, primum ab ore ſanguinem expuunt, deinde ex ſtomacho cruorem reijciunt, poſtea per ſellas, & iam abundantius eundem deijciunt. Adiuuabuntur autẽ læſi ab eo, polygonij ſucco quamplurimo per ſe poto, uel arido trito pondo libræ, dato cum aqua. Præmacerantur autẽ mala cydonia, aut uitis capreoli, aut myrti baccæ, aut eiuſdem folia.

Ad toxicum. CXCIIII.

TOxicum cuius ſit guſtus haud facilè quiuis dixerit. Verum cum potũ eſt, eueſtigio ciet dolorem omnium interaneorum infinitum, & uelut telo traiectorum, concitatq; mentis furorem, cogitq; exululare, & palpitare lingua ſimiliter decollatorũ capitibus: nihil em̃ poteſt intelligi ex uoce eorum. Adiuuantur autem qui id biberũt, roſa pota, aut oleo irino, coactiq; frequentius reijcere. Item aluo acri clyſmo ſæpius du-

cta, postea passo, lacte, & antidoto mithridatio.

Ad pharicum. CXCV.

PHaricum & ipsum dicitur ex compluribus componi, gustumq́ habere nardi. Potũ autem facit spasmon, citò exanimat. Adiuuant uerò læsi ab eo saliunca, id est, nardo syluestri quamplurima ex uino sæpius data. Item olusatri radice aut semine ex uino dato. Benefacit & hoc medicamentum: galbani puri. ✱. p°. duum, myrrhæ. ✱. p°. unius cũ passi cyathis quatuor datũ. ✱. p°. i. et hoc etiam ad omne medicamentum facit.

Ad tauri sanguinem. CXCVI.

TAuri sanguinis potum quamuis quis difficilè cælauerit, hũc tamen uestigia cruoris relicta inter dentium commissuras produnt. Nauseant autem & præfocantur qui biberunt, cum gelatur. Sed adiuuãtur aceto calido sæpius poto & iniecto per se, uel cum nitro laseris'ue radice.

Ad lac potum. CXCVII.

LAc potum & gelatum odore spirationis

tionis (si non confitebitur qui laborat) cognoscetur: præfocant autem & hoc homines. Adiuuari autem debẽt qui ab ea laborant, menta quãplurima sæpius sumpta. Item coagulo agnino, leporino, porcino, uictoriati pondere ex aqua bis ter'ue dato. Prodest & laseris radix cum posca, & aluus acri clysmo ducta.

Ad fungos. CXCVIII.

FVngis uenenatis cum quis laborat, primum nauseat, nec quicquam magnopere reijcit: postea stomachũ uentrisq; & præcordiorum infinitos habet dolores, manant sudores frigidi per artus, qui & ipsi gelantur celerrimè, nisi citè succurratur. Adiuuantur autem radice ea quam nos edimus, acri quamplurima per se, uel cum sale manducata, eius'que semine, si ipsa non fuerit, poto ex uino, Item ruta ex aceto trita & pota proficit. Nec minus lixiuia cineris ex sarmentis pota. Adiuuat & nitrũ aceto dilutum & datum: eodemq; modo æris flos datus, & mel cum aceto dilutum quamplurimum deuoratum.

Oportet autem & oleo antè multo poto cogere eos reiicere quãtumcunq; potuerint, & eodem caldo subinde artus perunctos expressius fricare.

Ad Irudinem. CXCIX.

IRudinem, quã quidam sanguisugam uocant, deuoratam, & adhærentem faucibus, eoq; ipso molestiam, titillationemq; quandam præstantem, excutere oportebit aceto quãplurimo epoto per se, uel cũ sale, aut nitro, aut lasere. Idem faciunt & niuis glebulæ quamplurimũ deuoratæ.

Medicamentorum malorum non nocet nominum, aut figurarũ notitia, sed ponderis scientia: hanc porrò medicus nec quærere, nec nosse debet, nisi diis, hominibusq; inuisus meritò esse uult, & contra ius, fasq; professionis egredi. Illas autẽ figuras, dico, & nomina necesse est ei scire, ut & ipse deuitet, ne per ignorantiã aliquam sumat, & aliis idem præcipere possit: hoc enim propriũ est Medicinæ, & illud execratissimi pharmacopolæ contrario oppositi uirtuti eius,

ciua, ut & in cæteris artibus animaduer titur: nulla enim est, quæ nõ habeat aduersantẽ sibi sua specie similitudinis malignam professionem.

Ad suspicionem mali medicamenti. CC.

QVoties autem suspicio mali medicamenti accepta fuerit, primum assumere oportet quæ nauseam faciũt, uel oleũ per se, uel cum aqua, & reijcere: deinde ea quæ uentrem molliũt, tam quàm lac, album ius pingue & salsum, chamæleam non cessantem inijcere clystere. Postea remedia propria ad singula quoque & antidotos sumere.

Implicitas Medicinæ partes inter se & ita connexas esse constat, ut nullo modo diduci sine totius professionis detrimẽto possint. Ex eo intelligit̃, quod neque chirurgia sine diætetica, neque hæc sine chirurgia, id est, sine ea parte quæ medicamẽtorum utilium usum habẽt, perfici possunt: sed aliæ ab alijs adiuuantur, & quasi consumantur. Itaque quamuis ex magna parte ad diætæticos pertinẽtes compositiones iam exhibue-

rimus, tamen quaſi claudicat & uacillat hic liber, niſi eas quoq; compoſitiones, quæ ad chirurgos pertinēt, poſuerimus quarum initiū ex emplaſtris faciemus.

Emplaſtrum Triphonis. CCI.

EMplaſtrū chirurgi Triphonis ſubuiride quod facit cum uulnus ita actum eſt, ut os lædatur, uel frangatur, præcipuè caluariæ, κεφαλϊκὴ ideo à Græcis dicitur. Idem ſi os ſcabrum, aut putre uetuſtate uitij factum eſt, expurgat & educit, quantum eius alienū eſt. Facit præterea ad canis morſum, & ad hulcus recens molle. Squama æris cyprij ✱. p°. xij. thuris. ✱. pond. vi. ammoniacæ guttæ. ✱. p°. ſex, reſinæ pituinæ, id eſt, ex picea arbore. ✱. pond. x. S. reſinæ terebinthinæ. ✱. p°. vi. adipis uituli pon. quadrans, ceræ pond. triens, olei p°. ſemūcia, aceti cyathus unus & dimidius: acetum intritum conſumatur ad omnia quæ teri debeant, dum leuia habuerint mellis ſpiſſitudinem: cera, & utraque reſina cum adipe purgato & oleo liqueſcāt, & incoquant, donec habeant ſpiſſi cera-

ſi cerati temperaturam, feruentia ſuper‑
fundent̃ rebus quæ ſunt in mortario mi
nutatim, & piſtillo ſubinde dũ calet, &
permiſcebunt̃. Atq; ita dum deſinit fer‑
uere, emplaſtrum manibus ſubigetur, et
redactum in rotundas ampliores, quas
magdalidas dicunt, reponetur.

Emplaſtrum Megetis chirurgi. CCII.

EMplaſtrum Megetis chirurgi ſub‑
uiride ad eadem facit, componitur
ſimiliter, accipit hæc: Squamæ æris cy‑
priĳ. *. p°. xxv. ammoniaci guttæ. *. p°.
xxv. terræ mali, quod ἀριστολοχίαν Græ‑
ci dicunt. *. p°. xx. iris. *. p°. xx. alumi‑
nis fiſſi. *. p°. xx. myrrhæ. *. pond. xxĳ.
reſinæ terebinthinæ. *. p°. iiĳ. pituinæ
reſinæ. *. p°. iiĳ. adipis taurini. *. p°. iiĳ.
ceræ. *. pond. iiĳ. olei ueteris ſextarium
unum, aceti acris ſextarios. iiĳ. Compo
nitur hoc medicamentum cum Canicu
læ ſydus oritur, teritur in ſole donec ace
tum omne conſumatur. In quibuſdam
hoc emplaſtrum efficacius, in quibuſdã
ſuperius poſitum inuenitur.

Emplastrum uiride Triphonis chirurgi. CCIII.

EMplastrum uiride Triphonis facit ad uulnera recentia, quo utebatur etiam in gladiatoribus, coloris boni εὐχροον ideò etiã appellabat. Recipit hæc: æris usti p°. sextantem, aluminis rotundi p°. sextantem, salis ammoniaci pon. sextantem, thuris pollinis p°. sextantẽ, æruginis rasæ p°. trientem. Hæc teruntur ex aceto aliquot diebus, postea ceræ p°. dua, resinæ frictæ p°. dua, cũ olei ueteris p°. dextante, liquefacta ab igne mortario superfunduntur, & mixta manibus subiguntur.

Emplastrum uiride Traseæ chirurgi. CCIIII.

EMplastrum uiride Traseæ chirurgi ad recentia hulcera minus acre: æris usti, ✳. p°. duodecim, salis ammoniaci. ✳. p°. nouẽ. Hæc terere aceto per aliquot dies oportet, donec uiridis color appareat, postea adijcere aluminis fissi. ✳. pon. vij. Vbi iam omnia leuia facta fuerint, & mellis liquidi temperaturam habuerint, ceræ pondo libra, resinæ frictæ pondo libra, cũ olei cyathis quinqꝫ liquefacta

liquefacta super ea adijciũtur, & rursus mortario subiguntur. Refrigeratumq́ʒ manibus subigitur ac reponitur.

Emplastrum Triphonis chirurgi uiride. CCV.

EMplastrũ uiride Triphõis facit ad recentia uulnera, morsus hominũ, sed prȩcipuè ad uetera hulcera, quæ nullo modo cicatricẽ ducunt, & callos eminentes circa se habent. Oportet autem tunc nõ linteolo, ut cætera, inlinere, sed dilatatum magis manibus in magnitudinem uulneris satis crassum imponere, superque linteola carpta plurima, deinde spõgiam nouam, ex uerbenis murto oleaq́ʒ factis. Constat ex his: æruginis. ∗. p°. iiij. squamæ æris. ∗. p°. sex, thuris pollinis. ∗. pond. vi. galbani. ∗. p°. iiij. aluminis rotundi. ∗. p°. iiij. resinæ pituinæ. ∗. p°. xxv. ceræ. ∗. p°. xxv. olei pon. sextante, terebinthinæ p°. selibra, aceti quod satis est. Cõponitur eodem modo quo & superius scripta uiridia emplastra sunt.

Emplastrum uiride Gliconis chirurgi. CCVI.

EMplastrum uiride quod sui generis, meo iudicio, superat omnia, uo

catur Isis. Accipit hæc: æris usti, æris cy
prij, æruginis rasæ, salis fossitij, guttæ
ammoniaci, thuris masculi, mali terræ
rotundi, quæ ἀριστολοχία στρογγύλη Græcè
dicitur, mali terræ sarmētorum, quibus
unguentarij utuntur, dicitur autem ari-
stolochia clematitis, aluminis rotundi,
singulorum pond. unciam, myrrhæ, gal
bani, aloēs, singulorum p°. sextantē, ce-
ræ p°. trientem, resinæ colophoniæ p°.
iiij. uel dua & bessem, olei sextariū unū.
Hæc em̄ galbano, resina, cera, et oleo su
per ignē liquefacta, miscētur mortario,
præterea cæteris ex aceti sextario uno.
Facit hoc emplastrū ad detectam mem
branam tegentem cerebrū: de industria
à medicis cū terebratu exciditur, quod
lædit eam os, uel alioquin detectam, ro
sa dilutum & impositum. Item facit
ad capitis diutinum dolorem, quem κε-
φαλαλγίαν Græci appellant, dolenti lo-
co raso superpositum, nec minus dies ui
ginti. Item facit ad oculorum imminen
tes epiphoras, superpositum frontibus.
Cæteras eodē modo sanguinis eruptio
nes è

nes è naribus adiuuat. Et hulceribus fa-
ctis eiusdem partis rosa dilutũ prodest.
Nec minus angina correptis faucibus,
extrà superpositum, & toto collo. Paro
tidas initia habentes discutit, suppura-
tas iungit, si quis emissarium collectio-
nis apto loco, id est, infra sinum ubi col
lectio est, fecerit, quod ὑπόχυσιν Græci
dicunt. Eadẽ ratione suppurationibus
in mammis mulierum futuris, aut factis
prodest, iũgit omnem partem diuisam,
& fibulis arctatam. Præcipuè cum inte-
stina prolapsa & reposita sunt, atq; sartũ
uulnus, quod à Græcis dicitur γαστοραφία.
Lateris, stomachi, uẽtris, iecinoris,
lienis dolorẽ sedat. Adiuuat cœliacos,
torminosos uẽtri toto circundatũ. Item
uesicæ tumẽti prodest. Eodẽ modo lum
borũ dolorem leuat. Ad luxatum omne
& eiectũ, & repositum articulamentũ
benefacit. Et ad podagrã præter quod-
uis aliud medicamentũ satis cõuenit, &
huic mirificè prodest. Fistulas rosa dilu
tũ sanat. Ad carbũculos & cancer impo
nendũ est: purgat eñ, nec patitur latius

ſerpere: uetera hulcera cicatricē ducere cogit. Punctus neruorū muſculorū, qui periculoſiſſimi ſunt, quos νύγματα Græci dicūt, ſine inciſiōe aut diuiſione ſanat cyprio oleo dilutum. Ad neruorum uitia omnia acopo melius facit.

Eiuſdem nigrum. CCVII.

EMplaſtrum nigrum eius Barbara dicitur, facit ad omne recēs uulnus & contuſum, hoc plerique in gladiatoribus utuntur. Picis brutiæ. ✱. p°. centum, reſinæ frictæ. ✱. p°. centum, bituminis iudaici. ✱. pon. centum, ceræ. ✱. p°. centū. Hæc cōciſa in minima fruſta, coquuntur cum olei ſextario uno donec ſpiſſentur: quibus depoſitis ab igne, & deſinentibus nimis feruere, adijcitur ſpumæ argenteæ. ✱. p°. x. ceruſſæ. ✱. pond. x, æruginis. ✱. p°. v. Et hæc autem cum aceti hemina terere oportet, & minutatim aſpergere, ne efferueſcat medicamentū. Vbi his adiectis & intermixtis intepuerit medicamentum, opopanax oleo dilutus exiguo. ✱. p°. duum adijcietur: deinde refrigeratū manibus, & ſub-

actum medicamentum, & in partes diuisum, reponit. Huic ergo emplastro, cum ita compositũ est, dum adhuc modicè calet, adijcito thuris pollinis pond. trientẽ: & mirum, quantò efficacius est, sine dolore atque tumore conseruat uulnera, & celerius sanat.

Emplastrũ nigrum Traseæ chirurgi. CCVIII.

EMplastrum Traseæ chirurgi facit ad omnia recẽtia uulnera. Propriè autem ad neruorum musculorum punctus, contusiones, luxa: & in totum, tumorem non patitur fieri, articulos incisos iungit. Idem & gladiatorum, & omnium hominum ad periculosa uulnera mirificè facit: sinus ueteres, & fistulas iungit: interius iniectum primũ, & postea extrà positum. Ceræ p°. iiij. picis brutiæ p°. iiij. resinæ frictæ p°. iiij. bituminis saguntini, quod est natura liquidum, p°. iiij. cerussæ, æruginis, chalcitidis, misiys, aluminis fissi, aluminis rotundi, melanterias, quæ creta sutoria dicitur, qua ligulæ calceolorum denigrant, gallæ syriacæ, singulorũ pondo libra. Hæc

aceto terũtur donec leuia fiant: quibus mellis habẽtibus spissitudinẽ, cera, atq; alia quæ igne liquefiunt, bitumenq; super ignem solutum, superfunduntur his quæ sunt in mortario, postea medicamentum manibus subigitur, & reponitur uase fictili acetum habente.

Emplastrum nigrum Aristi. CCIX.

EMplastrum nigrũ Aristi chirurgi facit ad omne recens uulnus mirifice, ad punctus neruorũ & ad musculorum. Item ad contusum, luxum, præcipuè ad ossa fracta. Sine alligatura enim interdũ dimidio celerius sanat ea, & sine dolore seruat: iungit sinũ. Habet autem hæc: Spumæ argenteæ. *. p°. ducentorum, aluminis fissi. *. pond. xxx. picis hispanæ. *. p°. centum, bituminis iudaici. *. pond. centum, propolis. *. p°. xxx. æruginis. *. p°. x. ceræ. *. p°. centum, ammoniaci guttæ. *. p°. xxv. terebinthinæ *. p°. l. olei ueteris sextarios quatuor. Olei inferuescit spuma argẽtea trita curiose: deinde adijcit bitumen, & ipsum contusum & tritũ. Vbi hæc cerati mol-

lis ha-

lis habent temperamentũ, pix adijcienda est: deinne cera & propolis, postea ammoniacum, à quo ærugo, ultimũ alumen aspergitur. Oportet aũt ubi tumor suspectus est, lanam succidã ex uino sine oleo superponere.

Emplastrum Triphonis. CCX.

EMplastrum nigrũ Triphonis, Basilicon appellatur, facit ad cõtusa, & canis morsum, & furunculos. Idem rosa dilutum explet concaua uulnera. Picis brutiæ. ✻. p°. xl. resinæ. ✻. p°. xl. galbani. ✻. p°. ij. olei cyprei. ✻. p°. sescũcia, cũ oleo cõmuni. ✻. p°. ix. liquefiet, & coquitur donec coëat, post hoc resina adijcitur: deinde emplastri habens temperamentũ, deponitur cacabus, & tepente medicamento galbanum dilatatum, ne uno loco subsidat, adijcitur.

Emplastrum Aristichirurgi. CCXI.

EMplastrum nigrũ, quod τετραφάρμακον dicit̃, facit ad eadẽ. Recipit hæc: Ceræ, picis, resinæ frictæ paria põdera, adipis taurini dimidiũ: unà omnia coquuntur, donec emplastrum fiat.

Emplastrum nigrum Dionysi chirurgi. CCXII.

EMplastrum Dionysi chirurgi facit ad mediocria uulnera, & in teneris corporibus puerorum. Idem iungit belle uulnera, & sine tumore seruat. Spumæ argenteæ. ✱. pon. cxx. olei sextarios duos. Hæc super ignem mouentur, donec cerati habeant temperaturam: post hoc adijcitur aluminis. ✱. p°. xlv. & decoquitur usquedum rufum medicamẽtum fiat: post hæc adijcitur resinæ colophoniæ. ✱. pond. xlv. ceræ. ✱. p°. xlv. ubi emplastri omnia habuerint spissitudinem, deponitur cacabus, & tepente medicamento, & cum desierit feruere, adijcitur galbanum minutatim dilatatũ, quò facilius soluatur. ✱. p°. iiij.

Rursum eiusdem. CCXIII.

ALterum rubrum medicamẽtum, quo uenatores utũtur, facit ad canis morsum & omnium quadrupedum. Item & ad offensionẽ in stirpe, & cætera uulnera mediocria. Spumæ argenteę p°. quinque semis, olei ueteris p°. dua. Hæc coquantur donec coëant: deinde

adijci-

adijcitur æris squamæ p°. uncia, & coquitur donec colorem rufum sumat: postea adijcitur ceræ p°. triens, resinæ frictæ p°. duo, ammoniaci guttæ, deposito paulisper cacabo, pond. quadrans, galbani item diuisi in minimas partes, & rursus reposito ad breue tempus, atque iterum reposito & non feruenti, galbani pondo sextans.

Coloris incerti. CCXIIII.

EMplastrum coloris incerti facit ad omnia mediocria uulnera, quadrupedum morsus, contusa uel incisa articulamenta (ut fit) cum ad dẽtem peruenit pugnus. Idem ad furunculos mirè facit, & strumas omnemq́ꝫ duritiem discutit, si id quis perseueranter imponat. Item cicatricem ducit diutini hulceris, & in totum ad omnia leuia in quotidianos usus mirificum est: tumorem non patitur fieri neqꝫ pus. Hæret, ut fascia nõ sit opus. In balineo non excidet. Hoc ipsum est quod tu desiderasti. Olei ueteris pondo quinque, spumæ argẽteæ p°. quinque. Hæc coquũtur donec coeãt,

postea adijcitur his resinæ pituinæ p°. quinque. Vbi emplastri habet temperamentum, adijcitur propolis inalienatæ syncerae & bonæ, qualis est attica, p°. selibra, deinde in cacabo deposito uisci de quercu lecti p°. quadrãs: hoc semper habeo compositum.

Emplastrum Euelpisti chirurgi. CCXV.

EMplastrum luteum Euelpisti chirurgi facit ad tenera corpora mediocriter læsa et abrasa, quæ ἀποσύρματα Græci dicunt. Spumæ argenteæ p°. selibra, olei hemina, coquunt̃ dum coëant deinde adijciuntur ceræ p°. duo, resinæ pituinæ p°. duo.

Emplastrum Epispasticum. CCXVI.

EMplastrum quod aperit & educit pus, uel si quid aliud subest, ἐπισπαστικὸν dicitur, ceræ p°. libra, resinæ terebinthinæ p°. libra, nitri rubri pondo libra: hoc teritur ex cinere lixiua, donec leue factum habeat mellis spissitudinẽ, postea supradicta cum olei cyathis sex liquefiũt ad ignem, quibus adijcitur thuris pollinis selibra, & ita quæ in cacabo

sunt,

ſunt, mortario ſuperfunduntur & commiſcentur. CCXVII.

Emplaſtrũ albũ ex ſale, δἰαλῶν Græci dicunt, facit ad omnem duritiẽ & diutinum dolorem, et ducit ſudores, idem hulcera uetera & calloſa renouat, & facilius aliјs medicamentis quæ hoc pollicentur, cogit cicatricẽ ducere. Salis marini, ceruſſæ, olei ueteris paria pondera. Coquitur cũ oleo ceruſſa donec coẽãt, & poſtea ſal admiſcetur. CCXVIII.

Emplaſtrum aliud ex ſale nigrũ efficacius, idem ad omnia facit, ſed recipit ſingulorũ p°. libram ſimiliter, olei autẽ ueteris triplex adijcitur. CCXIX.

Emplaſtrum album ad combuſta & perniones: ceruſſæ p°. libram, olei myrtei p°. librã, ſpumæ argẽteæ. ✕. p°. xxiiij. ceræ ponticæ p°. libram. Ceruſſa & ſpuma argentea coquũtur cum oleo donec coẽant: poſtea adijcitur cera.

Emplaſtrũ album Pacchij Antiochi. CCXX.

EMplaſtrum album Pacchij Antiochi, quo uti oportet cum in mammis mulierũ, alio' ue quouis loco duritia

fuerit, quæ ad omne medicamentũ exasperatur, quam Græci καρκίνωμα aut κακοήθες uocant. Facit autem ad combusta & uetera omnia, quæ non facilè cicatricem ducunt. Item ad hulcera ex frigore, uel per se facta. Præcipuè uerò ad ani uitia difficilia & uetera, rosa dilutũ. Cadmiæ botryitis. ✳. p°. viij. pompholygos cypriæ. ✳. p⁹. vij. molybdenæ lotæ ✳. p°. v. thuris masculi. ✳. p°. iiij. cerussę ✳. pon. lxx. spumæ argẽteæ. l. ceræ ponticæ. ✳. p°. viij. resinæ terebinthinæ. ✳. p°. vij. olei murtei. ✳. p°. centum. Quæ sunt dura, terunt ex uini ueteris sextario uno in quo die & nocte macerentur. Alterci albi, iridis, sertulæ campanę, terræ mali, papaueris syluatici capitum corticis, singulorum. ✳. pond. vi. Cũ leuia facta fuerint, & mellis spissitudinem habuerint, tunc murteũ oleum minutatim in mortario adijciatur: & cum fuerint temperaturæ liparæ, medicamentum conijciatur in nouo fictili cacabo, & coquatur pruna non nimis acri, moueaturq́ sine requie ne aduratur: cum emplastri temperaturam

peraturam habuerit, resinæ cera adij-ciatur. CCXXI.

Emplastrum ad combustum mirifi-cè facit: cum multis usus sim, nullũ ma-gis probo, protinus enim impositũ mi-tigat; postea tollit dolorem, statimq; in-finita celeritate persanat. Spumæ argen teæ p°. selibram, adipis suilli purgati p°. selibram, ceræ ponticæ p°. selibrã, ouo-rum assorum uitellos sex, quos terere o-portet, & miscere spumæ argenteæ & tritæ, ceram cum adipe liquefacere, de-inde pati coire, postea in unũ miscere.

Lipara ad intertrigines & exaspe-rationem. CCXXII.

LIpara ad intertrigines & exaspera tionem, tumorẽ ani mirifica. Spu-mæ argenteæ p°. triens, cerussæ p° triẽs, thuris pollinis p°. triens, aluminis fissi p°. quadrans, adipis suilli curati p°. qua-drans, uini austeri ueteris heminæ tres, rosæ sesquilibra, olei acerbi selibra. Te-runtur spuma, cerussa, alumen ex uino, deinde adijcitur thus minutum & cre-tum; & cum primum hæc læuia parue-

rint, cum oleamentis ex uino adipem liquefactum cum rosæ p°. quadrante miscere in unum oportet.

Lipara rufa. CCXXIII.

LIpara rufa facit ad fissuras ani diutinas, quas ῥάγαδας dicunt: eadem & eiusdem partis exhulcerationes, & uitia diutina benefacit. Spumæ argēteæ ⁎. p°. xxxvi. cerussæ. ⁎. p°. vi. chalcitidis ustæ. ⁎. p°. vi. mysios. ⁎. p°. vi. resinæ terebinthinæ. ⁎. p°. xij. ceræ. ⁎. pond. vi. olei murtei sextarios. S. ij. aquæ p°. sextans. Cum aqua teruntur quæ prima posita sunt & olei pōdo dimidio, cū reliquo oleo cera & terebinthina liquefacto mortario superfunduntur.

Ad condylomata. CCXXIIII.

AD condylomata facit bene elateriū siue cera: qđ est succus cucumeris syluatici, cōpositus, rationeq́ in pastillos redactus, ex aceto dilutum & perunctum. Itē propolis per se subacta & more emplastri imposita. CCXXV.

Facit bene & resinæ terebinthinæ. ⁎. pondo. vi. ceræ idem in uinum cocta

igni,

ſgni, quãtum poſſunt gagatis lapidis tri
ti recipere. Multis & iris contuſa & ex
uino mixta, cocta & poſita uelut farina
ordeacea profuit. Facit & androniũ me
dicamẽtum, qđ initiò poſuimus, ad con
dylomata uino dilutũ bene. CCXXVI.

Hoc medicamentum mirificè pro-
deſt. Aluminis melini. ✱. p°. centũ, chal-
citidis. ✱. pond. l. fæculæ. ✱. pond. l. Te-
ritur aceto, cum opus eſt uino aut aceto
diluitur.

Ad hæmorrhoidas. CCXXVII.

HAemorrhoidas ſic curare oportet
medicamento. Perungatur cen
taurij ſucco p°. duum. Hæc herba latinè
fel terræ dicitur, & ubiq; in agris naſci-
tur. Eſt autem tenuis multorum ramo-
rum in rectum ſurgentium, florem ha-
bet exiguum purpureum. Abſinthij ſuc
ci. ✱. pondo duum, aluminis liquidi. ✱.
pondo. ij. herbæ pedicularis. ✱. pondo
duum, miſyis. ✱. pondo unius, mellis
quãtum ad comprendenda ea ſatis erit.

Hoc peruncto interius ano, aut lana
tincta & interius truſa, cum deſederint

ad sellam, & apparuerint totæ, medica-
mento rursus bene tangendæ sunt undi
que, & præcipuè radices earum carba-
sis ducũt, specilli latitudine, subinde hau
riente, medico cumulante medicamen
tum, & adstruente, imprimẽteq; donec
combibant: totum enim in ea est, ut ab
omni parte saturentur. Est autem hoc
medicamentum: Chalcitidis ustæ. *. p°.
iiij. æris floris usti. *. pond. iiij. misyis
usti. *. pond. trium, æris squamæ. *. p°.
duum, disphrygis. *. p°. duũ, soreos usti
*. p°. duum, auripigmenti. *. pond. duũ.
Hæc omnia teruntur, & sicca (ut dixi)
hæmorrhoidibus imprimũtur undique:
post hoc tenue, simplex, rarum linteo-
lum imponere oportet, & super hoc pa
nem autopyron ex aqua maceratum &
tritum, rosaceo oleo adiecto. Hoc me-
dicamẽtum sine magno labore circa se-
ptimum diem cadere cogit hæmorrhoi
das. Oportet autem bis die panem im-
ponere, nõnunq; in nocte si circum ten
sionem senserint aquario, die auriscal-
pio auerso, quam partem κυαθίσκον Græ
ci uo-

ci uocant, ſenſim tentare, mouere abalie natam oportet, quò celerius excidāt hæmorrhoides. Hoc medicamẽtum omnẽ carnẽ, & omni parte corporis exhulceratam, & excreſcentem, & eminentem, ſine magno morſu tollit. CCXXVIII.

Si quando non exhulceratas eminentias tollere ſine ferro uoluerimus, ut uerrucas, neuos, aliáue eius generis, hoc medicamento utimur. Calcis uiuæ. p°. ſex, fæculæ. ✳. p°. trium, uitri uſti. ✳. p°. triũ. Hæc terere oportet ex cinere lixiua, ex caprifico uel ſarmẽtis, donec leuia paſſi habeant temperamentum, deinde adijcere rubricæ aut atramenti quod poſſit colorare ea: deinde patella fictili coquere ad mellis ſpiſſitudinem, atq; puxide nigri plumbi reponere. Melius autẽ recens facit, cuius uſus eſt talis, quod deſtinatũ erit tollere, id ipſum ſpecillo oblinetur craſſius, ex interuallo penicillo abſtergetur: & cum ſatis nigrũ quaſi perunctum uiſum fuerit, deſinere oportebit imponere res, & abſtergere, & panẽ ex aqua imponere & roſa. Hoc & ſtru-

mas ſanat antequàm ſuppurent. Oportet autem, cum hoc medicamentum cauſam fecerit in ſtrumis, nullum aliud medicamentum adhibere, ſanæ enim ita fiunt. CCXXIX.

Cum uerò aliqua pars ſuppurauerit, & timidus fuerit ad ſectionē cui id acciderit, uiſcum quamplurimum colligere oportebit: eumq́ꝫ cum cinere lixiui diutius terere, & aluta inductum imponere, ita formata, & in tantum ſpaciū circumſecta, quantū et quale uolumus hulcus, id eſt, emiſſariū uomicæ fieri, & ea parte ſcilicet imponemus, quantum neceſſe erit aperire. Hoc eodem medicamēto ſæpe dolores diutinos pectoris, lateris, lumborum ſuſtuli, cum ad nullum malagma aut auxilium cedebant: exhulcerata em̄ minima parte cuiuſq́ꝫ dolentis loci, humoribus poſtea uitium uelutí eijciebatur.

Ad eadem uitia. CCXXX.

MElior triphera, hoc enim nomen ſuperius poſitū, medicamentum appellatur: facit ad omnia quæ ferro debent

bent tolli sine magno dolore. Idem hæmorrhoidas productas medicamento, quod suprà positũ est, tollit. Vuã nimis iacẽtem sine periculo per auriscalpium lana inuolutũ perunctam, ex parte qua tollenda est, amputat. Oportebit aũt postea aqua mulsea gargarizare, & lentis atq; rosæ aridæ aqua decoctæ. Eadẽ res & palpebram pilosam remediat, si quis radices aduersus naturã pilorum natas obliniierit, donec locus earũ niger fiat. Recipit hæc: æris floris. ✳. p°. triũ, calcis uiuæ. ✳. p°. sex. tapsiæ radicis. ✳. p°. sex. fęculæ. ✳. p°. triũ, nitri. ✳. p°. duum, auripigmenti. ✳. p°. duũ, fellis taurini. ✳. p°. sex. Teruntur ex cinere lixiua qua culinarij utunt̃, donec habeat mellis liquidi temperamentum. Reponitur puxide nigri plumbi. Hæc puxis in ampliorem stagneam mittitur, habentẽ cinerem lixiuã usq; ad operculũ minoris. Oportet autẽ & hoc medicamẽtum colorare rubrica uel atramẽto. Huic medicamento si ana tis sanguinis quasi duæ ligulæ adiunctę fuerint, minus mordebit. CCXXXI.

Quatenus acrium & exhulcerantiũ medicamentorũ habita est mentio, ponemus qua stygmata tollũtur in dignis, & in multis. Hæc calamitas ex transuerso accidit, ut dispensatori Sabini Calui naufragio in ergastulo deprehenso, quẽ Triphon multis delusum, & ne casu quidem literas confusas ullo medicamento habẽtem, liberauit. Allij candidi spicæ capitis tritæ, cũ cãtharidibus uiginti alexandrinis (sunt autẽ uariæ & oblongæ) sulphuris uiui. ✳. p°. i. & uictoriati, chalcitis. ✳. p°. as semis, ceræ pondo triens, olei pondo triens, ceram cum tritis cæteris admiscuit & imposuit.

Intestini extremi prolapsio. CCXXXII.

INtestinum extremum quibus prolabitur & excidit, quoties prodierit, toties uino calido, uel uerbenis, uel cinere lixiua lauari oportet & reponere. Prodest & pice liquida perũgere & cedria. Interdum uel Andronio perungere, & sicca reponere. Facit & cinis ex sarmentis cribrata aspersa, alumen fissum tritum bene, & eodem modo aspersum,

atq;

atq; intestino reposito. CCXXXIII.

Ad testiculi tumorem cupressus bac cæ ex uino coctæ conueniunt, ex faba quasi cōcha multo cum cumino cocta. Item uua passa cū cumino cōtusa in mo dum malagmatis, melle quantū satis est admixto. Idē uua passa, nucleata, contu sa ac mixta eiusdē mēsuræ uel pōderis.

Ad ueretri tumorē & dolorem. CCXXXIIII.

AD ueretri tumorem lens ex aqua cocta, & trita, rosaceo oleo mi- xta prodest. Si maior tumor erit, mali granati corium ex aqua coctum & tri- tum, lenticulæ pari pondere admiscere oportet. CCXXXV.

Si hulcus sordidū erit, aut cancer ten tauit, aut iam occupauit, Andronios ex uino benefacit. CCXXXVI.

Si cicatrix ducenda.

Desideratur. CCXXXVII.

Omne hulcus in omni parte corpo- ris sordidū (id aūt est cum candicat, & quasi crustam perductam albam habet) purgat mel per se, iris arida contusa, uel cum melle. Eadē ratione & terræ mali,

& panacis radix purgat sordida hulcera. Mirificè & hoc medicamentũ purgat, etiam si cancer tentat, est autem leue: auripigmẽti quod Græci ἀρσενικὸν dicunt. ✱. p°. sex, æris squamæ. ✱. p°. trium, elaterij. ✱. p°. i. chartæ combustæ cinis. ✱ pond. iij. cũ opus est, cochlearia tria rosæ cyatho permiscentur, inde linteola carpta continguntur, atq; ita hulceri superponuntur. Hoc medicamentũ citò, & sine ullo morsu expurgat sordidissima hulcera. CCXXXVIII.

Omne purũ hulcus & concauum replet Basilice rosa diluta, ut superius dixi, propè aũt hoc medicamentũ: Medullæ uitulinæ. ✱. p°. iiij. adipis anserini. ✱. p°. duũ, butyri. ✱. p°. duum, medullæ ceruinæ. ✱. p°. duũ, ceræ. ✱. p°. iiij. terebinthinæ. ✱. p°. ij. mellis. ✱. p°. sescũcia, rosæ. ✱. p°. sescũcia, resina cũ rosa liquescit, cui miscent̃ calenti mel & cera, cũ cera prę calfacta in feruẽti aqua cõtundunt̃, atq; ita superioribus miscent̃. CCXXXIX.

Omne hulcus luxurians & crescens carne cõpescit chalcitis per se trita, uel

æris

æris flos uſtus. Bene aũt & propriè hoc medicamentum facit, quo Meges utebatur: Calcis uiuæ. ⁎. p°. duũ, thuris. ⁎. pond. unius, æris ſquamæ. ⁎. p°. unius.

Triphonis medicamentum. CCXL.

TRiphon chirurgus carnẽ eminentem hoc medicamento compeſcebat: æris floris uſti. ⁎. pond. vi. chalcitis uſtæ. ⁎. p°. iiij. myſis uſti. ⁎. pon. iiij. æris uſti. ⁎. p°. iiij. Hoc acre eſt, & quaſi cauterium cruſtam altam facit: quãobrem cancer non patitur impoſitũ ſerpere, omnem eruptionem ſanguinis ueluti cauterium ſiſtit. Et hoc autem, & quæ diximus imminuit. Cicatricem quoq; ducit, ſi quis tincto, extractoq; ſpecillo, qđ ei quaſi puluis adhæſerit, exiguo oras hulceris tetigerit. Sed propriè cicatricem medicamenta hæc ducunt:

Triphonis ad cicatricem. CCXLI.

EMplaſtrum efficax ad cicatricẽ ducendam: Spumæ argenteæ. ⁎. p°. quinquaginta, myſij uſti: chalcitis uſtę, aluminis fiſſi, ceruſſæ, ſingulorum. ⁎. pond. iiij, reſinæ terebinthinæ. ⁎. p°. xij.

ceræ. x. p°. v. Cera & resina liquefiunt, deinde cum refrixerunt, raduntur, sicca & bene trita adijciũtur et cõmiscentur.

Emplastrum diacadmias. CCXLII.

Emplastrum διὰ καδμίας Græci dicunt, quod cicatricem ducit, cadmiæ p°. libra, chalcitidis ustæ pondo libra. Hæc teruntur ex uini falerni hemi nis tribus, donec liquefacta mellis habeant spissitudinem: postea fit ceratum ex ceræ p°. iiij. resinæ frictæ p°. iiij. olei murtei p°. iiij. Cum refrigeratum est, ra ditur et miscet̃ his quæ in mortario sunt. Sunt qui liquefacta hæc ipsa dum calẽt, mortario superfundunt, et ita subigunt.

Ad papulas & porriginem. CCXLIII.

AD papulas in capite efferuescentes, uel qualibet parte corporis to tius porriginẽ, staphisagria trita, et nitrũ decoctum tritum pari mẽsura, in mixto oleo & uino austero, ante desudationẽ corporis ac postea. Item alumen liquidum ex aceto staphide agria adiecta. Ad epiphoram uerò toto corpore effer uescentem medicamentum prodest.

Ad ignem sacrum. CCXLIIII

ADignem sacrũ benefacit medica-
mẽtũ: rutæ uiridis p°. triẽs, spumæ
argenti p°. bes, aceti sextarius unus, olei
uiridis sextarius. Cum aceti parte in spu
ma & ruta terũtur donec leuia fiant, po
stea quod superest aceti, uicibus cum o-
leo adijcitur. CCXLV.

Ad ignem sacrum coriandrum per
se tritum benefacit, est enim res uirosa:
uel cum pane eodem modo & menta
prodest, & cinis de filice facta, aqua cõ
spersa, oblinita. Item cimolia creta suc-
co solani diluta. Et per se solanum, uel
cum pane prodest. CCXLVI.

Facit & ad hoc medicamentum be-
ne: sulphuris uiui, opij, singulorum p°.
semuncia, spumæ argenteæ pond. un-
cia, passo miscentur. Item hoc satis pro-
dest, cerussæ. *. p°. viij. aluminis fissi. *.
p°. trium, thuris. *. p°. trium, croci. *. p°.
duum, sulphuris uiui. *. p° duũ. Terun-
tur hæc solani succo, cum opus est uino
diluuntur.

Ad zonam. CCXLVII.

AD zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt, faciũt quidem ut ſupradicta omnia, præcipuè cicuta uiridis bene trita & impoſita. Item hoc medicamentũ: ceruſſæ. ✱. p°. xxxviij. aluminis fiſſi. ✱. p°. xij. croci. ✱. p°. i. thuris. ✱. pond. duũ, acaciæ. ✱. p°. viij. dyphrygis. ✱. p°. duũ, opij. ✱. pond. duum. Ex aqua teritur, & cum opus eſt, ex eadem dilutum perungetur. CCXLVIII.

Ad idem melius facit, gallæ, aluminis rotundi, chalcitidis, cretæ ſutoriæ, ſingulorũ. ✱. p°. duum, myſus, corticis malorum, acaciæ, ſingulorum. ✱. pon. iiij. calcis uiuæ. ✱. pond. xvi. Mali cortex in aceti ſextario uno decoquitur donec madida fiat: deinde teritur acacia aceto eodem, macerata nocte & die admiſcetur & unà teritur. Poſtea cætera adijciuntur, & fiunt paſtilli: cum opus eſt diluuntur aqua.

Ad utrunq; autem genus uitij, mirificè medicamentũ Andronicum facit.

Ad

Ad impetigines. CCXLIX.

AD impetigines uua aminea, quæ sic dicitur, bene facit. Est autẽ ru berrima, & in uepribus nascitur, qua fri cari oportet impetiginem, quoad curetur & non appareat: hoc autem diebus fit paucis.

Ad suggillationes. CCL.

BEnefacit huius radicis recentis suc cus, ad suggillationes & liuores perunctus. Scabiem tollit sulphur nigrum oleo mixtum communi, atq; in ce rati spissitudinem redactum. Hoc etiam lepram, & quam Elephantiam dicunt, sanat: & omnia quæ efferuescunt per se cum inueterauerint.

Ad scabiem. CCLI.

AD scabiem halica ex aceto macerata, & trita benefacit, exiguo thure adiecto. Item picis liquidæ libra, ceræ. ✱. p°. semis, sulphuris uiui p°. sextãs, aluminis fissi. ✱. p°. unius. CCLII.

Benefacit oliuæ æthiopicæ commi, quod græcè ἐλαίας αἰθιοπικῆς δάκρυον uocant, aceto dilutum. Item salicis libri

ex aceto cocti, atq; ita triti & impoſiti tollunt ſcabiem. Facit & eiuſdem cinis ex aceto ad ſcabiẽ. Prodeſt & farina ordeacea cocta ex poſca, ſi tenerũ corpus erit: uel ex aceto, ſi durũ, per dies quatuor aut quinq; deinde ceratum ex roſa adiecta ceruſſa, imponere oportet, donec cicatrix ducatur. CCLIII.

Facit bene & hæc compoſitio: Thuris maſculi p°. triens, ſulphuris p°. uncia, cæparum p°. ſextãs, rumicis erraticæ radices aceto quoq; tritæ p°. ∸ . Omnia teruntur: miſcetur aceto quod ſatis erit, id eſt, dũ mellis craſſi habeat ſpiſſitudinẽ. Cum opus eſt, ſcabiei nitro ex aceto locus fricat̃ diutius & preſſius, deinde hoc medicamentũ ſuperlinit̃. CCLIIII.

Alia cõpoſitio ad idem: Scammoniæ ✱. p°. trium, myrrhæ. ✱. p°. unius, æris floris. ✱. p° unius, aſtulæ regiæ, quã ἀσφόδελον Græci dicunt, radicis. ✱. p°. duũ, glutinis taurini. ✱. p°. duũ, nitri. ✱. p°. unius, & uictoriati. Terũtur omnia aceto præter gluten, hoc enim pridie maceratum cæteris iam tritis miſcetur. Cum opus autẽ

aũt eſt, antè nitro & aceto locus exaſpe-
ratur, deinde hoc oblinitur.

Vt conſummetur liber, malagmata, & acopa adĳciemus.

GENERA MALAGMATORVM ad omnẽ corporis ualetudinẽ. CCLV



Alagma ad ὀπισθότονον, id eſt cũ ceruix reflexa eſt in poſte riorem partẽ, aut rigida cũ in- tenſione oculorũ & maxilla- rum. Facit & ad κυνικὸν σπασμὸν, cum in utramlibet partem deprauata eſt facies. Idem ad omnem tenſionem, & contra- ctionem neruorũ, & ligationẽ, ἀγκύλην quod Græci uocant. Item ad dolorem omnis partis, quãuis ueterem. Bdellĳ. ✱. p°. xvi. opopanacis. ✱. p°. viĳ. galbani. ✱. p°. viĳ. adipis uitulini. ✱. p°. xvi. piperis grana numero. clx. ammoniaci guttæ. ✱. p°. octo, cachryos. ✱. p°. octo, iris. ✱. p°. xvi. ceræ. ✱. p°. lv. terebinthinæ. ✱. p°. l. Arida quæ ſunt, contunduntur, cribran tur: ſuccum habentia, cum reſina ſubin de admixta cõtunduntur, cera in fruſta

concisa aqua ferueti demittitur, & subacta manibus miscetur cæteris in pilam, Oportet autem pilum ligneũ frequenter cypreo oleo perungere. Hoc malagma cypreo oleo liquefactum acopi usum præstat. CCLVI.

Malagma alterum, stomachũ, aluum, intestina soluta habentibus & cholericis prodest. Cõfirmat omnẽ partem & adstringit, quæ hæc desiderat. Aluminis fissi. *. p°. sex, rus syriaci. *. p°. sex, gallæ *. pond. sex, acaciæ. *. p°. sex, ceræ. *. p°. xl. picis spanæ. *. p°. xl. olei melini aut rosæ. *. p°. trietem. Acacia uino exiguo macerata terit: cætera et pix oleo alteru tro mixta inferuescunt, quibus temperatis adijciuntur cribrata sicca: ijs acacia miscetur, atq; in unum omnia subiguntur. CCLVII.

Malagma pectoris & lateris dolorẽ, & quicquid ex perfrictiõe est, benè calfacit. Idem ad omnem dolorẽ prodest. Sansuci contusi sextarius unus, iris contusæ sextarij. xv. cyperi cõtusi sextarius unus, resinæ terebinthinæ põdo bes, ce-

ræ pon-

ræ pondo quadrans, olei cyperi pondo selibra, uini aminiæi sextarius unus.

In uino arida contusa macerantur una nocte & die: oleo, cera, & resina liquefiunt: deinde superfunduntur uino, miscentur manibus. Hoc medicamentum efficacius est secundo, post dies triginta efficacius prodest: initiò enim humidum ualde est, & uix inlitum remanet. CCLVIII.

Malagma ad omnem dolorem, præcipuè iocineris. Spicæ nardi. *. p°. v. celticæ, id est, saliuncæ. *. p°. x. iris. *. pon. viij. melliloti, quod à nobis sertula campana dicitur. *. p°. xxv. cyperi. *. p°. viij. ammoniaci thymiamatis. *. p°. viij. cardamomi. *. p°. vij. croci. *. p°. duum, uini falerni sextarius unus. In hoc omnia suprà scripta contusa uno die & nocte macerantur, præter ammoniacum: hoc em̃ aceto diluere oportet, & quasi ceratum facere: postea ceræ p°. dua bes, & resinæ frictæ p°. iiij. rosæ p°. libra, leuia sunt & refrigerata, quæ rosæ & cæteris miscent. Hoc & ad præcordiorũ tensionẽ

benefacit, & uesicæ dolorem. CCLIX.

Malagma ad lienosos & ad iocineris dolorem. Ammoniaci guttæ p°. i. ceræ pond. i. & sextans. Ammoniacū ex aceto terit̃, admixto crocomagmate quantum colorare possit, ammoniacū quod teritur usq; dum leuefactū mellis crassi habeat spissitudinem: postea cera liquefacta, rosa adijcit̃ mortario, & bene pastillo mixta, manibus utraq; subigūtur. Facit hoc malagma ad luxum, & ad capitis dolorē fronti superpositū. CCLX.

Malagma ad præcordiorum tensionem, uentris, stomachi duritiem cū dolore. Item ad iecur & lienem prodest. Ceræ. *. p°. quinquaginta, ammoniaci guttæ. *. pond. l. iris. *. p°. xxv. panacis *. p°. xx. anesi. *. p°. xxv. nitri. *. p°. xxv. adipis taurini. *. p°. xxv. fœni græci seminis. *. p°. xxv. resinæ terebinthinæ. *. p°. l. aceti acris sextarius unus, mellis p°. triens. Mel aceto diluendum est, atque arida omnia his macerāda die ac nocte, ceram, terebinthinam, adipem liquefactam in unum cæteris miscere oportet, &

& manibus ſubigere.

Malagma ad lienoſos. CCLXI.

MYrobalani. ✻.p°.l. aphronitri. ✻. p°.xxx. capparis radicis. ✻.p°.xx. cardamomi. ✻. p°.xxv. ammoniaci guttæ. ✻. pon. xxx. ceræ p°.ſelibra, irini olei p°.ſelibra. Cera irino ſoluitur, ꝗbus ammoniacũ aceto dilutũ miſcet̃, & poſtea arida quæ ſunt cõmiſcent̃. CCLXII.

Malagma ad omnem dolorem ueterem, & qualibet cauſa factũ, præcipuè ad lumborum dolorem, qui antè leniter ſcarifiant. Recipit hæc: bdellij p°. trientem, ſtyracis p°. trientem, hyſſopi p°. trientem, ammoniaci p°. trientem, piperis albi p°. trientem, thuris p°. trientem, baccæ lauri aridæ p°. dua, terebinthinæ p°. trientem, opopanacis p°. trientem, adipis taurini p°. trientẽ, medullæ ceruinæ p°. trientem, propolis p°. ſelibrã, olei ueteris p°. libram, ceræ p°. duo, thuris pollinis p°. libram. Oleũ, cera, reſina, propolis liqueſiunt: deinde thuris pollinis p°. ſuperius dictum adijcitur, & cætera minutatim, uel in unum contuſa: opopana

cem oleo diluere oportet. CCLXIII.

Malagma quod discutit strumas, parotidas, panũ, quod Græci φύγεθλον uocant. Idem omnem futuram suppuratio nem dissipat, factam aperit. Facit & ad dolorem articulamentorũ, uel cuiuslibet partis: præcipuè ad lumborũ dolorẽ, atq; inflationem stomachi uel coli. Picis hispanæ, aphronitri, resinæ pituinæ, ceræ, laurus baccarum, singulorum. *. p°. xxxv. adipis taurini. *. p°. xv. ammoniaci guttæ. *. p°. iris Illyricæ. *. p°. xv. galbani. *. p°. xij. piperis albi. *. p°. xv. Quæ debẽt liquefieri, soluuntur igne et oleo, cætera cõtusa temperatis asperguntur: ultimo loco tepente medicamento laurus baccæ miscentur. CCLXIIII.

Malagma ad omnem dolorẽ corporis articulorum. Facit & ad podagram. Idem discutit uomicas, aut aperit, præcipuè in pectore & interaneis. Prodest & lumborũ doloribus. Cerę. *. p°. viij. ammoniaci. *. p°. x. bdellij. * p°. x. iris. *. p°. vi. galbani. *. p°. iij. terebinthinæ. *. p°. v. Contunduntᷣ ordine quo scripta sunt, pilo ligneo, cyprino oleo qđ in uino sub

sidit,

ſidit, peruncto: cera in aquam feruētem in minimas partes cōciſa dimittit, & ſub acta manibus in pilam conijcit. CCLXV.

Malagma item ad contuſionē lateris. Idē facit ad ſuſpectas uomicas aut iam factas. Præterea ad iecinoris, præcordiorū duritiā uel dolorē benefacit. Proderit & in omni loco dolenti impoſitū. Cyperi, ammoniaci guttæ, cardamomi, bdellij, thuris, reſinæ terebinthinæ, ſingulorū p°. bes: thus & bdelliū macerant pridie uini hemina una: cætera contundunt, cera p°. libra & triēs, & olei cyprini ſextarius unus cū terebinthina liquefiūt, cæteriſq; cōmiſcent. Quidā adijciunt myrrhæ partē, croci partē ſextantē, cinnamomi partē ſextantē. CCLXVI.

Malagma ad luxum, cōtuſum, canis morſum, parotidas, ſtrumas, podagrā. Ceræ p°. dua, reſinæ frictæ p°. dua, picis hiſpanæ p°. tria, ammoniaci p°. libram, thuris pollinis p°. ſemis, galbani p°. ſemis, aceti ſextarios duos. Ammoniacū tritū cum aceto ſoluit igne; deinde reſina, cera p°. ix. adijcit, & coquitur uſque dum ſpiſſetur; poſtea thus admiſcetur.

Vbi emplastri habuerit temperamentum, medicamentum tepenti galbano adijcitur. CCLXVII.

Malagma ad podagrã, & omnem dolorẽ & tensionẽ neruorũ, recipit hęc: ammoniaci guttæ p°. i. ceræ p°. i. axungiæ ueteris selibrã, olei ueteris p°. trientem, olei cedrini p°. unciam, rosæ pond. sextantem, cyprini p°. sextantem, croci p°. sextantem, asij lapidis pondo unciã, myrrhæ p°. unciam, aphronitri p°. semunciam. Patella noua liquefit axungia, cera cũ oleo uetere: quibus adijcitur ammoniacum tritũ, & mouetur usqȝdum soluatur: postea oleum cyprinum, rosa, & cedria in unum miscent: & tunc subducitur flãma, ne feruescat medicamentum: secundum quæ adijcitur crocũ tritum ex aceto, deinde myrrha trita per se aspergitur, ultimũ nitrum, & asius lapis fœnicio inducitur.

Acopi genera & compositiones. CCLXVIII.

ACopum ad perfrictionem, lassitudinem, tensionem neruorũ. Idem hyeme non patitur perfrigescere artus: hoc

hoc Augusta utebatur. Sansuci floris sextariũ unum, fœnigræci sextarium unũ, rosmarini foliorum sextarium unum, uini falerni congium, olei ueriafri sextarios quinq; . Præter oleũ omia in unum triduò macerare oportebit, quarto die oleum adijcere, & coquere in pruna nõ acri medicamentũ, donec uinum cõsumatur: postea recolare per linteum duplex oleum, cui adhuc calenti ceræ ponticæ bessem miscere. Reponitur medicamentũ fictili uel stagneo uase. CCLXIX.

Acopum quod per uindemiã componitur, antequàm mustũ deferuescit: musti recentis congij quinq;, in hoc & olei ueriafri p°.l. macerantur: res quæ infra scriptæ sunt cõtusæ, & percribratæ grandioribus foraminibus cribri. Iris illyricæ. ✱. p°. xl. cyperi. ✱. p°. xl. fœnigræci. ✱. p°. xl. piperis nigri p°. xl. xylobalsami. ✱. pon. xl. calami odorati quo unguentarij utuntur. ✱. p°. lxxx. spathæ qua unguentarij utunt. ✱. p°. lxxx. schœni. ✱. p°. lxxx. saliuncæ. ✱. p°. lxxx. casiæ nigræ. ✱. p°. xxiiij. cardamomi. ✱. pond.

xxviij. ſtyracis. ✳. p°. xxviij. coſti. ✳. p°. xxviij. myrrhæ ammineæ. ✳. p°. xxij. caſiæ daphnitidis. ✳. p°. xxiiij. ſertulæ campanæ. ✳. p°. xiij. aſpalathi. ✳. p°. xl. Hæc cum muſto & oleo macerantur uaſe ſtagneo aut fictili per dies triginta. Oportet autē uas bene clauſum & alligatum diebus his ſoluere, inuiſere omnia: deinde rurſus operire & ſignare ne uires euaneſcant: poſt dies triginta conijciuntur macerata: deinde oleū purum excipiet, quod reponitur fictili uaſo: cuius oleaminis uires ad omnem contractionem neruorum tantæ ſunt, ut ſit uix credibile.

CCLXX.

Acopum ad perfrictionem, laſſitudinem, neruorū dolorem, grauioris odoris (ſuperiores enim boni ſunt odoris) Ammoniaci guttæ. ✳. p°. xv. galbani. ✳. p°. iiij. reſinæ terebinthinæ. ✳. p°. lvi. ceræ. ✳. p°. xxviij. mellis. ✳. p°. triens, olei ueteris ſextarius unus, hyſſopi p°. uncia, medullæ ceruinæ p°. uncia, opopanacis ✳. p°. vi. Sunt qui hunc nō adijciunt. Ceram, oleum, terebinthinam liquefacere

oportet,

oportet, deinde cætera adijcere, nouissimum ammoniacũ tritum curiose. Hoc qui perunctus erit, etiam à serpente tutus erit. CCLXXI.

Acopum, quo ferè Augusta & Antonia usæ sunt, facit ad perfrictiones & neruorũ dolorem. Idem perunctũ non patitur ꝑfrigescere artus, & refrigeratos calfacit. Cõponitur hyeme hoc modo: Sumere oportet adipis porcinæ sterilis trepondo, uel anseris adipis idem pondus: deinde aqua frigida bene lauare, atque in nouo uase adijcere uini ueteris congiũ unum, aut sextarios tres, nõ nimis contusa ponderis huius. Xylocinnami p°. quadrantem, cardamomi p°. quadrantem, cyperi p°. quadrantem, schœni p°. quadrantem, rosæ aridæ foliorum pond. unciam. sertulæ campanæ coronas decem. Hæc omnia inferuescunt super carbones, deinde perfrigerata eodem cacabo reponuntur: posteróque & tertio die cum inferuefiunt, reconduntur, quæ eodem modo die rursus recalfiunt; & colantur per linteum,

uel ex iunco factũ de industria colum: uinum atq; adeps quæ superest in nouo uaso conijcitur: deinde cũ gelauerit se adeps, oportebit fundum cacabi perforare, & uinũ omne emittere, atq; in priorem cacabum adipem eandem conijceare, & uini eiusdem recentis eandẽ mensuram adijcere, res'que nõ nimis contusas nec cribratas. Nardi syriaci spicæ p°. sextantem, saliuncæ p°. sextantẽ, amomi pond. quadrantem, casiæ p°. quadrantem, myrrhæ p°. trientem, cumami pon. trientem, rosæ aridæ foliorum p°. sextantem. Deinde semel manè, & in nocte semel inferuefacere oportet: idem in postero die cum inferuefacta fuerint, percolanda erunt, in cacabum priorẽ perfusum: sed antè diligenter & spisse obturatum: atque ubi se congelauerit adeps, extrahendum erit spissamentum, quod cum uinum omne fluxerit, quod superest adijce. Vase stagneo uno, uel pluribus, diligenter operto & adplumbato reponitur.


Arum compositionum (si qua fides est) ipse composui plurimas, & ad ea quæ scripta sunt facienti scio paucas: sed ualde paucas ab amicis, quibus æquè ac mihi credo, acceptas adieci: quas cum iureiu rando adfirmauerũt sese ipsos expertos esse, ut benefacientes scire ad uitia quæ scripta sunt. Illud aũt te meminisse oportet, mi Calliste, quod initiò dixi, eadem medicamenta in ijsdẽ uitijs interim melius, deterius'ue respondere: ꝓpter corporum uarietatem, differẽtiamq́ꝫ ætatũ, temporũ, aut locorum. Eadẽ enim res nõ dissimiliter dispositis corporibus, nõ possunt eosdem effectus exhibere. Sed adfirmo ex magna parte prosperos euentus (si quãdo opus fuerit) has compositiones habituras.

SCRIBONII LARGI DE Compositione medicamentorum libri finis.

QVONIAM HOC IN SCRIbonij libro frequens est ponderum mẽtio, nõ ab re fuerit pauca hęc subijcere.

PONDERA.

Duodecima pars aßis	*Vncia.*
Sextans	*Vnciæ duæ.*
Quadrans	*Vnciæ tres.*
Triens	*Vnciæ quatuor.*
Quicunx	*Vnciæ quinque.*
Semis, quæ & selibra dicitur,	*Vnciæ sex.*
Septunx	*Vnciæ septem.*
Bes	*Vnciæ octo.*
Dodrans	*Vnciæ nouem.*
Dextans	*Vnciæ decem.*
Deunx	*Vnciæ undecim.*
As	*Libra, unciæ duodecim*
Pondo dua	*Libræ duæ,*
Trepondo	*Libræ tres.*

Sicilicum faciunt drachmæ duæ.
Sextulas senas habet uncia.
Duella sextulæ duæ uocantur.

Sescuncia	*Vncia una & semis.*
Semuncia	*Vncia semis.*

HORVM PONDERVM QVAE-dam apud ueteres inueniuntur notæ.

S	significatur	Semis uel selibra.
÷		quarta pars semißis.
·I·		octaua pars semißis.
ѵѵ		duella.
ɔ		sicilicus.
Z		pars unciæ octaua.
*		Denarius.

Victoriatus argenteus erat nummus uictoriæ nota signatus: pro quo in cõpositionibus à Scribonio relatis, Galenus duos obolos ponit, hoc est, scrupulum.

Sestertius & ipse argenteus nummus erat, duos asses & semissem ualens.

MENSVRAE.

Ligula cochlearis est mensura. Cyathus, Plinio autore, pendet per se drachmas decem. Sesquicyathus acetabulum implet. Acetabulum eidem Plinio heminæ quarta pars est. Hemina sex impletur cyathis. Dimidium sextarij hemina est. Congius senos capit sextarios, ut Amphora octo Congios. Duplex Amphora Modius est.

CAPITVM SEQVENTIS libelli adnotatio.

Magna

Iocine=

FINIS.

ANTONII
BENIVENII DE ABDITIS nõnullis ac mirandis morborũ & sanationũ causis liber.

HIERONYMVS BENIVENIVS Ioanni Rosato, Medico & Philosopho, S.



Vm post insperatam amantissimi fratris mortem (qua propterea quòd quicquid in me fugiẽtis uitæ ex tam multis miserijs & languoribus supererat, uno illo niteretur, nihil mihi in terris potuit accidere grauius) eius perquàm sanè honestam, & omni doctrinarum genere locupletem bibliothecã euoluerem, incidi in pleraque eius ingenij monumenta: quæ ille, ut erat uir doctrina & ætate prouectior, ac multarum rerum usu & experientia pollens, cudebat quotidie. Lectitãti igitur ea mihi, ac sæpius ob memoriam illius reuoluenti, obtulit sese interea libellus quidã, in quo uir summo & studio & diligẽtia præditus, quæcunque trigesimũ supra se-



cundũ iam annũ medẽti illi admiratiõe digna occurrerant, & ex quorũ cognitu usus aliquis possset existere, studiosissimè prout quęq; acciderant scriptitabat. Delectatus sum, fateor, nouitate ipsa rerum, & uarietate lectionis: measq; partes esse duxi, ea quamlibet impolita, & quæ tumultuaria quadã, ut uidebant, festinatione ex tẽpore potius effusa, quàm à cura diligentius exarata, iterũ autor relecturus esset, utcũq; colligere, & in publicũ dare: ne si qua in his utilitas, posteris inuideret, & unà cũ autore periret. Nam cætera quæ de reliquis Medicinæ partibus paulò accuratius scribebat, nõ mihi uisa sunt ita maturuisse, quæ in publicũ ueniant. Sed ne hæc quidẽ quæ de pluribus mutilis alioquin ac uariè interlitis uix eruere potuerim, sine te, hoc est sine cuiuspiã excellentis ingenij & doctrinæ uiri cõsilio et autoritate publicare ausim. Ne mihi indies exprobrent temeritatem meã, qui fratris mei, uiri alioquin eruditissimi, informem abortiuum pro maturo & undequaq; consummato

foetu

fœtu tollens, in patris dedecus & ignominiã prodere festinauerim. Feci igitur quod meũ erat, quod fraternus postulabat amor, quod publica suadebat utilitas. Verũ nisi ad hoc nostrũ officiũ accedat cura & diligẽtia tua, quibus & errata mea, siqua forte in his colligẽdis retractãdisq; admiserim, sedulò dispũgas, & fratris festinatã celeritatẽ, sicubi opus fuerit, tẽpestiuè matures, feci nihil. Vale.

IOANNES ROSATVS MEDICVS & Philosophus Hieron. Beniuenio, S.



Egi amãtissimi fratris tui libellũ de abditis nõnullis ac mirandis morborũ & sanationũ causis, opus uariũ, elegãs, eruditũ, & ut uno me uerbo expediã, dignũ tãto uiro. Magnũ profectò detrimentũ, magna, ut mihi uidetũ, iniuria fieret, cũ præsentis, tũ futuri seculi hominibus, si tãtæ utilitatis & eruditionis liber illis inuideretũ. Ego quãtũ ad me attinet, officio fũctus sũ. Reliquũ est, ut nũc tandem per te liber ipse prodeat in publicum: ne si domi cõtineatur diutius, magni criminis reus fias. Vale.

ANTONII

BENIVENII FLORENTINI, Medici & Philoſophi, de abdi tis nonnullis ac mirandis morborum & ſana- tionum cauſis liber.

De morbo, quem uulgò Gallicum uocant. Cap. I.



OVVM morbi genus, anno Salutis nonage-ſimoſexto ſupra mille quadringentos à Chri ſtiana ſalute, nõ ſolum Italiam, ſed ferè totam Europam irrepſit. Hoc ab Hiſpania in-cipiens, per Italiam ipſam primum, tum Galliam, cæterasq; Europæ prouincias latè diffuſum, mortales quamplurimos occupauit. Incipiebãt enim puſtulæ ge nere diuerſæ in genitalibus membris, li cet interdum, ſed rarenter, in capite: & inde per totum corpus diffundebantur. Alijs quidem planæ minimæq; extãtes, ſed ſcabræ tamẽ in ſuperficie, & colore

ſubalbidæ

ſubalbidæ: à quibus ſquamæ reſoluebantur, & caro ſub his corroſa apparebat. Alijs uaris ſimiles, figura rotundæ: & ab his item ſquamis leuioribus reſolutis prominebat caro rubicundior, ex qua uirulētia fœtēs & grauioris odoris profluebat. Nonnulli uerò latioribus corripiebātur puſtulis, ſed quæ ſupra cutem non intumeſcerent, craſſiores ſquamas habentes: ex quibus etiam uirulētia copioſior emanabat, & amotis ſquamis caro apparebat obſcurior ac ſubliuens, quæ inhulcerata roderetur. Quartū genus erat, quod ſubalbidis ſquamis amotis cicatrici ſimile remaneret, à quo profluens interdum ſanguis difficultatē ſanationis oſtenderet, & ſimilitudine ſiccam ſcabiem repræſentaret, cæteris omnino deterius: & licet minus eroderet, ſerpendo tamen uarijs & intentatis inſidebat locis. Hoc autē morbi genus plebem plurimū ſeruosq́; afficiebat, ex nobilioribus uerò paucos. Subſequebant̃ huiuſcemodi puſtulas, licet etiā interdū præcederent, articulorū dolores,

qui nõ minori cruciatu torquerẽt, ac se-
nescẽtibus iam pustulis plurimũ inuale-
scerent. Quòd si medicamentis compin
gentibus intrinsecũ quis conaretur ex-
trudere humorem, continuò exortæ pu
stulæ in gula & ore ægrotos malè habe
bant. Ex quo etiam nonnulli ob incu-
riam medentis, mortem obibãt: aut, qđ
proximum est, erosis faucibus difficilli-
mè sanabãtur. Has aũt nos impetiginis
esse genera, quas Græci λειχῆνας uocãt,
iudicauimus. Quem etiam morbum Pli
nius, quòd ex accepto osculo mentũ ue-
naretur, mentagram appellauit. Huius
uerò & Celsus quatuor species esse di-
xit, rubricã scilicet & nigrã: tum et quæ
serpẽdo procedit, & quæ item bullulas
uaris similes habet. Materiam autem ha
rum pustularum diuersam quidem, sicu
ti & diuersa sunt genera, iudicamus. In-
terdum enim acuta humiditas sanguini
mixta & erodens dominatur. Interdum
crassior, tenuiori parte absumpta, & ad
atrã bilem uersa. Nõnunquã etiam atra
ipsa insurgit bilis, quæ ab acutiori humi
ditate

ditate non absoluitur, & cutem perforans carnem erodit. Pari quoq; modo exusti humores ad naturã atræ bilis inclinantes efficiunt; qui si densioribus occurrãt mẽbris, quæ perforare nequeãt, figuntur ibidem, & dolores excitant uehementiores donec resoluantur, aut tandem erumpãt in pustulas: quæ etsi alioquin fœdæ & ad sanescendũ difficiles, sine ullo tamen dolore, ut atræ bilis natura est, infectos premunt. Ex quo fit, ut qui eiusmodi afficiuntur pustulis, imperitis sese medicis nõnunquam curandos tradant. Quibus ægritudinis huius causas penitus ignorantibus, dum inter mali initia compingentibus unctionibus illis mederi festinant, sæpe eos aut in mortẽ, aut saltem in deteriorem, uel etiam penitus in insanabilem compellant morbum. Nam cum huic malo causæ insint difficiliores, & quæ uix remoueri queant, ut non sine magno labore, ita nec sine diuturnioris tẽporis spatio sanescere potest. Quare qui ex his festinam sanitatem quærunt, mortem

plurimum, ut iam dictum eſt, aut ſaltem diuturniorem morbum nanciſcũtur. Si quis igitur huiuſcemodi malo uexatus, ſibĳpſi citra omne diſcrimen conſulere, ac certam ſalutem acquirere cupit, his utatur medicamentis atq; conſilĳs, quæ à nobis infrà ponent̃. Aſſerunt peritiſſimi medici, ſi huiuſcemodi morbus toto diffundatur corpore, ĳſdem medicamentis curationem ſuſcipere, quibus & lepra curatur. Quare cum iudicaueris ſanguinem his miſceri humoribus, deducíq; eos cum ſanguine poſſe, optimũ præſidium erit ſanguinẽ illico de uena media, quam Nigrã medici uocant, mittere. Contrà uerò ſi ineptos, & qui cum ſanguine minimè fluere poſſint exiſtimaueris, æquare eos ac deducere medicamento debes. Non inutile tamẽ erit hirudinem, quam ſanguiſugam uocant, aut cucurbitulas ea parte affigere qua æger magis urgetur. Præſidĳ indigentiam indicãt, habitus corporis, rubor in loco, tumor uenarum, & ſi puſtulæ ſanguinolentæ ſunt. Poſtea uerò ad ea me-

dicamen

dicamenta cõfugiendum, quæ materiæ partẽ deponãt: quod certè felicius fiet, si aluũ duxeris eo medicamẽto, quod habet Myrobalanorũ omniũ partes duas, Radicis barbari partem unam: Agarici, Polypodij, singulorum partem mediã: succi fumi terræ, senæ, et uuæ passæ, singulorum partem quartam. Quæ tudicula attrita bulliant in aquæ libris sex, donec quarta defecerit pars. Tum decolata comprimantur, & additis mellis libra, scamoneæ unciola, & siliquæ ægyptiacæ uncijs duabus, paruo igne in unam redigantur compositionem. De qua deuoret æger unciolam mediam. Demũ aggredi debemus potiones materiam æquantes, ut ex fumo terræ, endiuia, aceto, saccaro, limonum citrique acido succo. Aut eam, quæ habet Myrobalanos omnes, fumum terræ, endiuiã, buglossam, melissam, boraginem, uiolas, absinthium, thamerindum, epithamum, et rosam. Quibus additis succo fumi terræ atque saccaro, bulliant, & ad potionis formam redigantur. Materia tan

dem æquata deducatᷣ aluus medicamen to potentiori, quod deponat humorem quē excernere uolueris: ſicuti ſena, polypodio, albo ueratro, lapide ſtellato, ſcammonio, compoſitione filij Amech, Inda, et alijs multis quæ doctores extollunt: dummodo non obliuiſcaris nutrire ea in lactis aqua: quæ ſiue in potione ſiue buccella accipies, optimum & excellens auxiliū inuenies. Verùm quia humor non una tantum uacuatione ſecernitur, iteranda ſæpius hæc erunt. Vltimo loco ea ſunt aggredienda præſidia, quæ extrinſecus adiuncta etiā conferre poſſint: ut in craſſiori & glutinoſa materia, quæ incidant: in tenuiori, quæ reſoluant: in media, quæ utrāque operationem cōcilient. Mollire interdū & dolores remittere opportunis præſidijs conuenit. Hoc autem malum tollit acida pars citri, gummi arabicum, gummi nucis plurimæ, ſtorax liquens, & ſinapis, ſi aceto liniantᷣ. Saliua quoq; hominis ieiuni, præſertim quæ dētibus inhæreſcit, præſentaneū remediū eſt. Aqua ſulphu-

sulphurea, aqua salita, & maris spuma, succus psillij, oleũ ex frumẽto & ex uiolis, storax, et pix armoniacus, helleborũ gũmi rutæ, litargiriũ, tutia, resina pini, spuma argenti, & cerussa. Serapion aũt nitri partes duodecim, sulphuris partes xiiij. excipiebat resina copiosa, eaq; utebatur. Alij minio sinopio cerã & oleũ ex rosa addunt, & eo inungũt. Nõnulli uerò resinã terebinthinam, argentũ uiuum, masticem, litargiriũ, cerussam thymiamaq; excipiunt myrtino oleo, atq; larido: & eo inungẽtes sudare ægros cogunt. Nec postremò desunt qui fateantur se ex solo potu medicamẽti, quod habet laccam lotam, aloën ac myrti coctionem, ex eiusmodi ægritudine sanos euasisse.

Vermis uomitu proiectus. II.

IOannes quidam faber lignarius, annum agens quadragesimũ, cũ à cordis dolore ferè ꝑpetuo duobus iam annis grauiter urgeretur, ac ꝓpterea quòd eo sæpius in mortis discrimen adductus fuerat, peritissimos quosq; nostri seculi

medicos, sed frustra, cõsuluisset: tandem ad nos uenit oratũ, ut si quo modo possem, tanto malo succurrerem. Mouit me fateor cum res ipsa, quæ satis per se miranda uidebatur: tum uel maximè uiri lachrymæ, ac nimium miserabilis obsecratio. Cœpi itaq; mecum cogitare an id forte ex malo habitu uentriculi, seu cordis, siue ille calidus frigidus'ue esset, an siccus, simplex aut mixtus. Sed horũ nullus certis indicijs ostẽdebatur. Cordis enim natura nobilis præstansq; tanto tempore huiuscemodi iniuriam non tolerasset: Cum nullum ægritudinis genus imprimi in corde possit, quin hominem ad festinam mortem deducat. Opinanti igitur mihi malignam aliquam & noxiam materiam in uentriculo detineri: quæ, quod uicinus locus sit cordi, ad eius ceruicẽ ascendens hominẽ afflictaret, uisum est eam quoquo modo propellere. Quare medicamento uomitionem fieri iubeo. Eo etsi corrupta ac putrens materia expellitur, nõ tamen dolor remittit. Consulo igitur ut iterũ uomitum

mitum

mitũ experiatur: quem nihiloſecius una intermiſſa diecula ualidiorem exhibeo. Expulſaq́ eo eſt craſſior pituita, & cum ea uermis longitudinis digitorum quatuor ſatis plenior, capite rubro, leui, rotundoq́, quod piſi magnitudinẽ nõ excederet: cætero corpore lanugine quadam contecto, cauda furcata ad ſimilitudinem nouæ lunæ: pedibus nixus quatuor, duobus in dexteriorem, totidẽ in ſiniſteriorem partem coaptatis. Admiratus uermis formam medicis eruditioribus oſtendo. Nullũ inuenio qui monſtrum ſimile uidiſſe ſe unquam fateret. Aderat tamen ſenior quidam, ſed medicæ artis imperitus: qui teſtatus eſt ſimilem ſe uidiſſe uermem uomitu quoque propulſum ab Alexandro quodam cœnobita: qui ſtatim, ut ille aiebat, proiecto eo, mortuus eſt. Vocitabat aũt hoc monſtrum cordis uermem. At contrà æger ille noſter ut primum uermem ipſum euomuit, ad priſtinam reuerſus eſt ſanitatem.

Lapides in tunica hepatis reperti. III.

MVlier quædam nobilis dolore exorto circa iecinoris partes cũ diu multumq́ʒ angeret, ac propterea quãplurimos medicos consuluisset, effugere tamen id malum nullo præsidio poterat. Quare opem nostram unà cum aliis experiri placuit. Cõuenimus igitur plures medici, & quænã essent huius morbi abditæ causæ hinc inde plurimo sermone discussimus. Verùm ut contingere in rebus dubiis pleruncp solet, sententia non cõuenimus. Cũ pars iecinoris abscessum, pars malum habitum iudicasset: nos uerò uitium in membrana contegente inesse credebamus. At illa cũ inualescente morbo paucis pòst diebus, ut nos etiam ex certis indiciis pari consensu prædixeramus, è uita migrasset, mortuæ corpus incidendum curauimus. Et inuentæ sunt in iecinoris membranulæ parte decliuiori congesti lapilli figura & colore diuersi. Alii enim rotundi, alii angulares, quadrati alii, prout positura & casus effecerat, maculis etiã

rubeis,

rubeis, cœruleis albisq́ue distincti. Hi sua grauitate ex tunica sacculum longitudine palmi, latitudine uerò duorum digitorum effecerant. Hanc autẽ nos mortis causam arbitrati, disputare de obscuris uanum & inutile iudicauimus.

Fluxus sanguinis ex poro. IIII.

NOui hominem robustum admodum, qui trigesimum & sextum agens annum, sæpe mecum conquestus est de certo sanguinis fluxu, quo singulo quoque mense grauiter afflictaretur. Interroganti mihi qua parte corporis flueret, id se nescire respondit. Admiratus hominis uerbũ, detege, inquam, locum unde fluat. Deposito pallio ilia dextra ostẽtat, ubi subiacet iecoris pars ima. Diligenter locum oculis lustro, si foramen aut cicatrix in parte sit: omnia æquabiliter posita, lenem et mollem carnem, nullam asperitudinẽ cicatricis'ue notã inspicio. Ab homine decipi suspicor. Quod ille aduertẽs, paucis, inquit, diebus hunc tibi scrupulum demam. Instat enim tempus quo sanguis fluere

consueuit. Reuersus perendie uno superposito digito locum fluxus contegebat: quo amoto, non secus emanauit sanguis, ac si ex incisa uena proflueret. Nec prius fluor ille cessabat quàm sanguinis libra emitteretur. Quo euacuato nullus discernere poterat, unde euacuatio facta esset. Existimaui uenulam foraminibus cutis sua ceruice inhærescere, indeq́ stato tempore sanguinē euacuari. Curaui igitur hominem sola sanguinis missione ex uena iecoris singulo quoq́ mense. Curiosoq́ uictu iniuncto, protracta cura est ad sextum usq́ mensem, & tandem conualuit.

De uena umbilici, & ex uulua prolapsa intestina. V.

MVlierem uidimus sexagenariā, cuius intestina ex uena umbilici subitò prolapsa sunt, nullo præsidio conferente tertia die uitam finisse. Vidimus & aliam, de cuius uulua pariter disrupta intestina omnia profluxerāt, paucis item diebus occubuisse. Insuper & tertiā nouimus, cuius intestina, perfracta eorum tunica, à summa umbilici

cute

cute tanquã in ſacculo dependebant in uuluam. Hæc autem miſeram quidem, ſed tamen lõgiorem uitam ducens, unà cum hoc malo conſenuit.

Vmbilicus prominens. VI.

COmmune omnibus, umbilicũ ad decorẽ prominere. Monſtroſum, ſi promineat ultrà quàm decens ſit. Ioannes Binus filium habuit octimeſtrẽ, cuius umbilicus digitis quatuor excreuerat ad penis ſimilitudinem. Coles em̃ teſticulorũ tunica iunctus uidebatur: à quo etiam ſpiritus erumpebat interdũ. Hũc cũ plures medici inuiſiſſent, & ex his alij inteſtinũ eò erupiſſe iudicarent, alij omentum, alij humorem, nos carnẽ in loco increuiſſe dicebamus. Cui ſententiæ cum pater inhæſiſſet, puerum curare cœpi. Sed quod autoritate eorum mouebar, qui propter ſpiritũ quem inde erumpere interdum diximus, inteſtinum illud eſſe dicebãt, reſecandáne mihi eſſet caro illa, & idipſum ferro'ne an igne potius faciendum, plurimum addubitabã. Verum certa tandem ratione

ſubnixus uincire carnẽ decerno: ſingulisq́ diebus arctius deligans non prius deſiſto, quàm ea ipſa præmortua penitus exciderit, ac puer ſubinde integram ualetudinem recuperauerit.

Ex ano euacuata urina. VII.

QVis mireť ſi audierit quod & nos uidimus, puerum ſcilicet duodecimum agentem annũ, cum urinam ſeptimo iam die non redderet, propterea quòd concretum quid ex pituita & ſanguine, urinæ ipſius canaliculos obſtruxerat, eam tandem ex ano euacuaſſe? Præſertim ſi nouerit & ueſicã ipſam ceruicemq́ eius minimè foraminulentam aut fungoſam exiſtere: & inteſtinũ qđ penetrari debuit, ſolidæ & cõcretę eſſe naturæ, ut decet tunicas om̃es quæ neruoſæ ſunt. Oportuit em̃ aut inciſam ueſicam inteſtinumq́, quod citra mortem fieri nequit, aut naturam cui impoſſibile nihil eſt, huiuſcemodi aperuiſſe uias: ut inde urinam redderet, puerumq́ ſeruaret. Nouimus em̃ miranda eius opera: nam & purulentũ quid etiã oſſi ſubſidens

dens extrinſecus trudit, & hominē cer-
tis indicijs moriturū ſæpius liberat. Vn-
de & militem uidimus, cui illatū uulnus
in coxam, ueſicæ ceruicem inciderit: ac
ſubinde incuria medici adeò cōglutina-
tum obcalluit, ut penitus iter urinæ ob-
ſtruxerit: ſed ea nihiloſecius carne pau-
latim eroſa, coxa altera extrinſecus eru
pit. Indeq́ꝫ quoad uir ille uixit, ritè pro-
fluens reddita eſt. Sed Pauli Bonini fi-
lium nouimus, qui glande colis clauſa
natus, paulò infra eam itinere patefacto
urinam reddebat.

Mulier à ſpiritu malo oppreſſa. VIII.

ACcidit his tēporibus nouū & ad-
mirandū morbi genus: qđ etſi ui-
derim curauerimq́ꝫ, ſcribere tamē uix au
ſim. Mulier ſextumdecimū agens annū
ab ima uētris parte dolore exorto, cōuel
lere manibus nitebat̄. Cumq́ꝫ in horren
dum clamorē erumperet, intumeſcebat
illico totus uēter, adeò ut uterū geſtare
crederes octimenſem: & uoce exhauſta
ubi toto cubili hinc inde reiectās ſeſe, et
plantas pedū interdū ceruici connectēs

resiliebat in pedes, iterũ ꝓcidẽs ac resiliens: isthuc ipsum idẽtidẽ factitabat quoad paulatim ad se reuersa quoquo modo recrearet. Interrogata quid egisset, penitus ignorabat. Nos uerò eiusmodi morbi causas disquirentes, arbitrati sumus hoc malum ex uuluæ ascensu & uaporibus malis sursum elatis, ac subinde cor & cerebrum impetentibus prouenire. Quare idoneis medicamẽtis adhibitis, cum nihil omnino profecissent, non parum mirati sumus. A recta tamen uia minimè desistendum putauimus, donec ferocior facta ac toruis oculis circũspiciẽs tandẽ prorupit in uomitũ, quo lõgiores & recuruos clauos æneas' que acus unà cum cera et capillis in globũ mixtis euomuit: & nouissime ientaculi frustũ tantæ magnitudinis, ut deuorare integrum nullus potuisset. Cumq; idipsum sæpius etiã uidẽte me factitasset, teneri eam arbitratus sum spiritu malo, qui dum hæc ageret, spectantium oculos perstringeret. Quare spiritalibus medicis cõmendata, manifestioribus dein signis & argumen-

gumẽtis rem comprobauit. Nam et nos ſæpe eam uaticinãtem audiuimus: & ea præterea agentẽ uidimus, quæ omnem uim morbi ſupergreſſa, humanũ etiam captum excederent.

Sanatum genu miraculo euidenti. IX.

ROBERTUS Saluiatus Bernardi filius & diui Dominici fratrum conſortio iunctus, dum in monaſterio ſancti Marci Florentinæ ciuitatis uitam degeret, geniculi dexterioris abſceſſu grauiter affligebatũ. Quare me familiari medico accerſito, malum oſtendit. Intumuerat enim genu, tantumq; eleuabatur, ut humani capitis magnitudinẽ æquaret. Notæ pituitoſum & uapore plenum oſtendebant. Hic chirurgica manu curatus, bis iam ſanitatem fuerat conſequutus. Reuertebatur tamen id malũ prio re peius. Quare iudicauimus huiuſcemodi ægritudinẽ ubi iam inueteraſſet, nullo modo citra uſtionem finiri poſſe. Territus ille iudicio noſtro, ac propterea medicæ artis ſpe depoſita, ad diuinũ confugit auxilium. Erat eo tempore in

eodẽ monasterio uir simplex & bonus, fide et charitate pollẽs, Dominicus Piſciæ oppido ortus, et eiuſdem religionis profeſſor: per quem Deus plurima iam ſigna fecerat. Hũc igitur Robertus ipſe conueniens miſerabilibus primũ lachrymis & precibus orat, ut ſeſe ſuis apud deum orationibus liberet: quod cũ ille pro ſola humilitate abnueret, inſtat iterum Robertus: nec prius à lachrymis & importunitate deſiſtit, q̃ Dei hominẽ flectit atq; exorat. Celebratis itaque ex more ac peractis miſſarũ ſolennibus, cũ ad Robertum ipſum qui ſolus celebranti illi miniſtrauerat, cõuerſus fuiſſet, geniculũ detegit: & ſigno Crucis ſup manum impreſſo, fiat, inquit, tibi ſecundũ fidem tuam. Quibus uerbis omnis prorſus intra pauculos dies delituit ægritudo. Quod & nos nõ ſolum uidimus, ſed & proprijs (ut aiunt) manibus attrectantes, geniculum ipſum detumefactum ac penitus ſaneſcẽs inuenimus. Et ne quis nõ omnino uirtute diuina factũ putet, hic ſeptimus iam eſt annus ex quo ille ſa

nitatem

nitatem adeptus, eam ſeruauit & ſeruat ope & auxilio illius, qui ſolus omnia potens, uiuit & regnat in ſecula.

Miraculo liberatus. X.

IVuenis quidã Florentinus nomine Gaſpar, dum circa præcordia ſagitta uulneratus ſpiculũ educere nititur, relicto mucrone arundinem tantũ euellit. Quẽ cum chirurgici, omĩ licet ingenio, omniq́ꝫ præſidio nixi, auellere minimè potuerint (in intima eñ coſta adeò inſederat ut reuelli nullo auxilio poſſet, niſi coſta ipſa perfracta, & uulnere ampliori facto) mortem potius quamlibet miſerabilẽ, quàm tale genus curationis ſubire malebat. Quare tandẽ in deſperationem uerſus, laqueo ſuſpẽdere ſe, aut pro fluẽti Arno, uel alto puteo præcipitem dare cogitabat: quod & feciſſet, niſi aſſiſtẽtes amici illũ diligentiſſimè cuſtodiſſent. Inter quos erat uir q̃dã Marioctus nomĩe, fide & ꝓbitate pollẽs: hic hominem iugiter deprecabat̃, ut deſperatiõe reiecta, ĩn manus potius Dei, à quo eſt oĩs ſalus, tã grãde malũ tradere conaret̃,

Huius tandem precibus flexus Gaſpar totus ad Deũ conuertit,non die,nõ nocte ab oratione ceſſans: donec in uaticinium prorumpens, nonnullos interim, qui ad eum uiſendi gratia accederent, dum adhuc procul eſſent,paulopoſt adfuturos prædiceret. Quinetiã & ignotum quemlibet proprio quoq; nomine citans, admonebat aſtantes omnes uti Deum timerent, & de ſalute ſua confiderent. Se enim non modò de ea, deq; die & hora qua illam conſequi deberet, certiorem factũ eſſe, ſed multa præter ea eodem lumine præuidiſſe aiebat: ut profectionem ſuam Romam & mortẽ, exilium Petri Medicis & fugam,ciuitatis noſtræ Florentiæ anguſtias & calamitates, Italiæ ſubuerſionẽ,& alia quãplurima: quæ breuitatis cauſa ſilentio præterimus:quæ'que ferè omnia magna ex parte iam impleta uidemus. Nam & qua prædixerat die atque hora mucro ipſe ex uulnere ſponte ſua proſilijt: quo eiecto etiã uaticinari deſtitit, & Romã tandẽ peregre proficiſcẽs mortuus eſt.

Mulier

Mulier uulua carens uixit annis decem. XI.

INgeniosus nostri seculi medicus Vgolinus Pisanus me licet iuniorẽ aduocandum censuit: ut unà cum illo mulierem quandã curaremus, quæ uuluæ pernitioso hulcere uexabat̃. Huius nos malitiã omni studio, & diligentia tollere, sed frustra, conati sumus: nam corrupta interim uulua, & frustulis comminuta descendens, non prius fluere destitit quàm tota putrescẽs decideret: ac sic mulierem ingenti malo liberauit, quæ licet uulua carens, sana tamen superuixit annos decem.

Aqua inter cutem. XII.

AQua inter cutem cũ uehementius urgeretur puer: tantaq́ intus contracta esset, ut aluum nullam in partem mouere posset, omni auxilio medicorũ destitutus, temerariam sibi libertatẽ uendicauit. Quare aqua quantum poterat epota, in ultimum sese mortis discrimen malè sanus præcipitauit. Verùm siue id aquæ contractæ impulsu, siue ope naturæ factũ sit, soluta est umbilici unitas:

indeq; tãto impetu aqua ꝓfluere cœpit, ut ſupra uentrẽ cubitos tres aſcenderet. Quo ſane uitã finiſſet, niſi circũ aſſiſtentes oppoſita manu aquã fluere non ꝑmiſiſſent. Hinc medico accerſito, & aqua paulatim educta, ac curioſo uictu & cæteris quæ ad rẽ facerẽt iniũctis, breui tẽpore in priſtinã redactus eſt ad ſanitatẽ.

Ruſticus per annum nihil bibens, ab aqua inter cutem liberatur. XIII.

RVſtico, quẽ aqua inter cutem malè habebat, opem noſtrã expoſtulanti, ſanari illum cum iam morbus inueteraſſet, minimè poſſe reſpõdi. Inſtanti tamen ut aliquod ſaltem conſilium ei præberemus, ſubridens inquam, amice ſi curari deſideras, opus eſt ut non ultra bibas quàm ut uitã ſuſtineas. Diſceſſit: & anno peracto iterũ interrogat an ipſum nouerim. Nego me hominẽ noſſe. At ille, tua ope curatus, inquit, ad te reuertor, ſcire cupiẽs an adhuc mihi liceat aliquid bibere: cum hactenus per annum nihil biberim. Admiratus interrogo quare, & cuius cõſilio. Cui ille, tuo,

inquit:

inquit: & rem omnem ab initio narrat. Iussi igitur paulatim uino assuescere: sed mero potius quàm lymphato, & eo ipso austero ac tenuissimo. Discessit: et curiosa potione usus, ad pristinumq; reuersus statum, quam mecũ familiaritatẽ primùm contraxit, eam adhuc in hanc usq; diem officiosissimè seruat & colit.

Struma ingẽtis magnitudinis & ponderis. XIII.

MVlierẽ Oliuã nomĩe, struma coxæ innata multos annos miserabiliter uexabat. Ad eam ẽm iam magnitudinẽ excreuerat, ut occupãte ea coxã ipsam ac crus, ambulare non posset. Quo factũ ut iam quinquẽnio misera in lecto iaceret. Nec ex medicis ullus inueniebatur, qui aut ferro aut alio quouis medicamẽto tollere tam ingẽs malũ auderet. Quare omni spe destituta, me cũ iunior adhuc essem, ad se uocãs, operã nostram deposcit. Lachrymis urget & precibus, ut quãlibet miserabile, aliquod tamen ei præsidiũ afferam: mori se malle quàm in tãta miseria & calamitate uitã ducere. Mouerunt me, fateor, infelicis

mulieris lachrymæ: ac propterea rem ſanè arduam, & quam nullus qui ſaperet attentaſſet, aggreſſus, ſtrumā ipſam ea potiſſimū parte, qua coxa pēdebat, uinculo deligo. Et quoniā reſecanda craſſitudo palmo plenior erat, ſingulis quibusq; diebus uinculū ipſum arctius necto, donec pars media reſecaretur. Tū candēti ferro quod ſupereſt ſcindo: ſanguinem ſupprimo, & mulierē ferè mortuam reſumēs molli cubiculo recreo: ac curioſa dein obſeruatiōe, idoneisq; medicamentis rite procedēs, diuino tandē auxilio eam in priſtinā ſanitatē reduco. Tanta autē fuit præciſæ carnis moles, ut pondus ſexaginta librarū excederet.

Ex frigidißimo emplaſtro ſtomacho admoto mors ſubſecuta. XV.

NOui medicū, qui uel incuria, uel magis ut arbitror inſcitia, emplaſtrum frigidiſſimū ſtomacho cuiuſdam uiri, dum illū uentriculi dolor ſatis mordax urgeret, ſuperpoſuit. Putabat em̄ hoc auxilio dolorem ipſum tolli poſſe. Verùm ille dolore ferè amoto, grauem tamen

tamen noxam percipiens, redeunti medico exponit dolorem quidē remiſſum, ſe tamen inſpirandi difficultate uexari. Quod inſcius medicus paruifaciēs iterū emplaſtrum admouit: & ne tollatur etiā iubet. At æger, dum aſſiſtētes imperata faciunt, paucis interim horis ſingultu premit: quo grauius grauiusq́ hominē affligtante, inhorreſcūt illi membra: ex quo etiā paucis interceptis diebus mors ſubſequuta eſt: quam medici omnes ex incuſſo ſtomacho frigore proueniſſe iudicauerunt. Ignorabat enim bonus ille medicus, nullum princeps aut principi ſubſeruiēs membrum ſolis frigidis eſſe curandum.

Ex *frigidißimo aquæ potu uir interimitur.* XVI.

ANtonius Parmenſis iuuenis admodum robuſtus cum ſub feruentiſſimo ſole, & magni æſtus tempeſtate pluribus diebus in itinere fuiſſet, ardentiſſima tandem febri correptus eſt: quare cum uehemens eum ſitis urgeret, frigidiſſima aqua epota intra paucas horas mortuus eſt.

Defectio ex frigidißimi uini haustu. XVII.

BLasius Senensis familiaris noster & condiscipulus, dum lõgiusculo tempore sub ardẽtissimo sole pilæ ludo incaluisset, nec sudore adhuc aut fatigatione remissis in subterraneũ locũ, ubi uinaria erat cellula, descendisset, frigidissimi uini calicẽ haurit: quo epoto statim deficit: indeq; ut erat ferè præmortuus ad cubile delatus, ac calidis utcũq; fomẽtis, sed non sine graui noxa tandẽ licet ægrè refocillatus, conualuit. Frigidissima eñ potio altius cordi insederat.

Erosum capitis os. XVIII.

QVidam monachus ordinis beati Augustini ex his quos canonicos regulares uocãt, dum in monasterio diui Donati, quod urbi nostræ prominẽs Scopetũ dicũt, uitã ageret, semel mecũ conquestus est, affirmãs capitis eius os paulatim indies erosum iri: qđ miratus, caput detego, manu diligentius contrecto, frontẽ ferè totam osse denudatã inuenio: & quod maius est, nullã in cute

summa,

ſumma, nullam in carne noxam aduer‑to: rei cauſam quæritans, iudico acutiſſi mo humore hoc fieri, qui foraminulen‑ta carne demiſſus nullam in ea uim face ret. Os uerò, quod denſius ac propterea magis obſiſtens eroderet, non ſecus ac fulgur, quod aurum illæſis interim locu lis nonnunquã liquare ſolet. At mona‑chus ille cũ maior iam oſſis ipſius pars eſſet eroſa, & nullo proficeret auxilio, paucis annis uitam finiuit.

Lapis ex inteſtinis eiectus. XIX.

MAriottus Palla pharmacopola cũ inteſtinorum dolore uexaretur, eius'que uenter nihil ferè & id quidem ægrè atq; liquatum redderet, pluribusq; hominem medicamentis aluum ducen‑tibus & clyſteribus curaſſent medici, & morbus nihilominus inualeſceret, ad aliud auxilij genus conuerſi, totam ip‑ſius aluum humidis fomentis emolliũt: nec prius ab incœpto deſiſtunt, q̃ ille ſic fotus lapidẽ inſtar columbini oui aluo proijcit. Qui quidẽ lapis inteſtino ſubſi ſtens, & iter magna ex parte obſtruens,

licet ideo deduci non possset quòd inte-stino tunicisq; eius deligatus esset, uel qđ ipsius crassioris intestini aliqua fortè inhæresceret cellula, medicamentorum tamen præsidijs & expultrice adiuuante uirtute tandem propulsus est.

Aerea acus perforato stomacho extrinsecus truditur. XX.

DEuorauerat mulier quædam æneam acum, & nulla inde noxa percepta, integrum annum ita ut erat, sana permansit. Quo peracto cœpit dolor satis acutus mulierem ipsam circa uentriculum urgere: qui dum eam magis magisq; indies affligeret, plures consuluit medicos: nihil tamen de deuorata acu, quam penitus obliuioni tradiderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde sententiæ. Alij enim ab acutiori humore, alij à uẽto inter tunicas stomachi recluso, cæteri uero ex malo habitu excitari hoc malum putabant. Cumq; omni quo poterat studio & diligentia curata, sanitatem nullo modo consequi posset, medicæ artis spe deposita, tolerare id malum satius

ſatius duxit, q̃ perpetuis medicamentis inaniter uexari. Sicq; annis iam decẽ tali urgente dolore, miſeram uitam trahebat, cum ecce acus illa terebrato uentriculo è paruo demiſſa foramine proſilijt. Nos autem & acum uidimus, & mulierem curauimus: quæ paucis pòſt diebus unitate uulneris facta, in priſtinam ſanitatem reſtituta eſt.

Ob incuriam à lepra liberatus. XXI.

MEmini Onofrium Tedaldũ pro mortuo à medicis derelictum incidiſſe in manus noſtras, non quidẽ ut curaretur (id enim factu impoſſibile uidebatur) ſed ut ſatis amicorum opinioni & ægro ipſi fieret. Lepra hominem malè habebat: & febricula inſuper urgebat. Quam, quòd ſolitas animalis parteis occupãs quaſi habitũ inducat, Græci ἑθικὴν uocant. Tantumq; inhæſerat ſolidis membris hæc febricula, ut macie & tabe conſumpta carne, nihil niſi pellis & oſſa ſupereſſent. Quin et in neruis crurium tanta item cõtractio facta erat, ut calces natibus inhæreſcẽtes extendi

nullo modo possent. Indulgēs itaq; hominis uoluntati, permitto ut omnibus omissis legibus suo arbitrio uiuat. Aduentāte igitur uere cū iam nux plurima tenuiori cortice uestiretur, his uesci cœpit. Et cum omne aliud cibi genus fastidiret, non una alteráue cōtentus, etiam supra centū singulis diebus comedebat, pane licet modico adiecto. Quo factum ut & uenter fluere cœperit, & stomachus nihil continere; sic'que frustula integra deijci, ut concoctio nulla in eis appareret. Hoc itaq; incurioso & licentiori uictu usus, ad æstatem usq; processit. Quo tempore citrullos, angurias, peponesq; comedēs, nullū præterea cibi genus deuorabat: sed & ea cruda & incocta omnia deijciebat. Peracta autē iam ferè æstate refici cœpit, & corpus quoquo modo resumptum ad habitum suū reuertitur, quoad sicco & calido morbo humidis & frigidis præsidijs superato, quem ratio & diligētia curare nō poterat, incuria & temeritas ad pristinā redigeret sanitatē. Qua biēnio feliciter usus, incurio-

incurioſo poſtmodū uictu, & inutili libertate in eundem recidit morbū. Quo demum abſumptus, paucos poſt annos è uita deceſſit.

Hulcus menti ſanatum dentis euulſione. XXII.

IVuenis quidā Angenius nomie, annis iam tribus menti hulcere uexabatur: qui licet opera complurium medicorum uſus fuiſſet, tantum abfuit, ut non deprehendentibus illis morbi cauſam ſanitatem cōſequi potuerit, ut penè omnē recuperādæ ualetudinis ſpem amiſerit: dum ſcilicet ex his nōnulli, quòd altum & calloſum hulcus uiderent, citra uſtionem nequaquā tolli poſſe affirmarent. Atq; item alij, quia calloſa haberet ora, Chironeum hulcus crederent, & ob id curatu difficilimum arbitrarentur. Nos uero ut primū hominē uidimus, & hulcus cōſpicati ſumus, nullis id malū medicamētis uinci poſſe prædiximus: niſi eo prius eruto dēte, ad cuius radicem hulcus ipſum aſcēderet. Id quod res planè indicauit: nā dente ipſo euulſo, eroſam eius radicem cernimus, unde ſcilicet ma

lum illud, fomentum ac pabulum capiebat. Quo ſublato, nõ multis pòſt diebus etiam domeſticis medicamentis ſanatũ eſt hulcus.

Attoniti fulmine. XXIII.

ATtonitos fulmine patrem & filiũ uidimus, quorum corpus & mens ſtupore quodam tenebãtur, adeò ut diſſolutione neruorũ, quã Græci ἀποπληξίαν uocant, affici eos crederem. Cumq; ad ſeptimũ uſq; diem ferè abſq; cibo & potu, quinetiam muti & ſine ſenſu uitã miſeram traherent, ex uena demum, quam medici Nigram uocant, ſanguis emittitur, aluus ducitur, corpus plurimis frictionibus diſtringitur, ac tenuiſſimis interim cibis utcunq; alitur, donec paulatim refecti ad priſtinam tandem ſanitatem reuerſi ſunt.

Lapis tuſſicula expulſus. XXIIII.

HEnricus quidam Alemanus cũ laterum doloribus triennio iam uexaret, & ob id opera & cõſilio multorũ interim medicorum, ſed fruſtra, uſus fuiſſet, ad nos tandẽ uenit oratũ, ut ſi quo

modo

modo possem, laboranti illi opem ferrē. Interrogo igitur hominē an initiū morbi causam'ue teneret, utrum scilicet ex frigore, uel ex ictu aliquo, aut nimio cursu, uel distillatiōe à capite, siue etiam ex præcedente aliqua alia ægritudine hoc illi cōtigerit. Respondit se nullam procatarcticam scire causam, sed tantum ex occulto initio paulatim increuisse morbum illum, adeoq; auctū ut eum ad mortem duceret. Anxius igitur & tanti doloris causam minimè deprehendēs, nesciebam quò me uerterē. Neq; enim ulla uel materiei, uel mali habitus erāt indicia, cum tussicula quædam sicca hominem urgeret, neq; item excrementa aliqua uidebantur. Et medicamēta etiam, quibus curatus fuerat, intentiones ferè omnes euacuauerant. Quare autorū tandem sententijs nixus, quibus docet medicus, cum causæ morbi abditæ sunt, his præsidijs uti, quæ conferre quidem possint, nocere non possint: cœpi primum lenire pectus, mollire guttur et asperam arteriā, donec calculo ad auellanæ ma-

gnitudinē de pectore propulso, & sicca illa tussicula, & omnis præterea dolor amotus est. XXV.

Magna suræ oßis parte resecata, puella conualuit.

HIeronymi Corbinelli filia octauū agens annū elephantico morbo affecta est, ita ut & suræ os uitiari cœperit. Sūma enim cutis maculas crebrósque tumores habebat, & rubor paulatim in atrum eleuari ac conuerti cœperat, adeò ut facilè iudicares uitiū in osse cōsurgere: præsertim quòd & ingēti dolore afficeretur, & nullū in carne puris signum appareret. Quare soluto uentre & sanguine cucurbitulis misso, detegere os decernimus: quo detecto, quicqd putrēs & cariosum inerat abscindimus. Sicq; magna ossis parte resecata, puella (quod multis impossibile uidebat̃) tandem rite curata conualuit.

Sagitta carminibus euulsa. XXVI.

NIhil tam facilè in corpore q̄ sagitta conditur, & eadē sæpius altissimè: qd' & in milite uidimus, cui telū dextra parte pectoris illatū, sinistræ scapu

lę ossi

læ ossi usq; adeò inhæsit, ut & multi mucronẽ euellere frustra conati sint. Nam redire tam lõgo spacio minimè poterat absq; carnis & uenarum neruorumq; laniatione, propterea quod utrinq; spicula ipsum cingerent: nec etiam cõtrà carne incisa euelli telũ poterat, cum os scapulæ, cui insederat, magnũ amplumq; obstaret. Quare medicæ artis præsidio destitutus, cũ id citra mortis periculum fieri nõ posset, aduocat ariolũ: qui duobus digitis plagæ superpositis, & carminibus nescio quibus insusurratis, telũ ex osse redire iubet: quo etsi absq; ægri corporis noxa, non tamen sine utriusq; animæ dispẽdio obtẽperante, miles ille paucis pòst diebus ritè curatus cõualuit.

Hulceratæ nares. XXVII.

HVlcerari nares intus cõsueuerũt, eiq; malo uix succurri potest, cum inueterascit. Mihi nubilis puella nobilisq; ostenditur, quæ eiusmodi morbo diu tenebatur: nec inuentus est medicus, licet plurimi puellam curandam suscepissent, qui id malũ tollere potuisset.

Erant enim hulcera circa nares crustis
pluribus fœda: è quibus etiã malus con-
surgebat odor, quod genus Græci ὀζαί-
ναν appellant. Curam itaq;, orãte patre,
qui unicè filiã diligebat, aggredior, his
auxilijs fretus, quæ ad hunc morbũ con
ducibiliora uisa sunt. Primò igitur aluũ
duco, humores æquo, & cucurbitulis
scapulis affixis, carneq; ferro incisa san-
guinem mitto. Tum & frictionibus di-
uertẽtibus usus, nares calida aqua spon-
gia expressa cõfoueo: deinde cerussam
& argenti spumam oleo myrtino & om
phacino excipiens, ad crassitudinẽ mel-
lis reduco, eoq; illiniri nares sæpius iu
beo, quo auxilio crustis om̃ibus excisis,
cerussa demum, olibano, cadmia, syllíq;
interiori parte diligẽter attritis & mel-
le addito medicamentum conficio, quo
specillum lana obuolutum intingẽs hul
ceribus admouebam: & his repletis li-
namentum, eo quoque medicamento
illitum demittebã in nares. Idq; bis die
uel ter faciendum curabam: quoad his
præsidijs & auxilijs malo, qđ plurimos
medicos

medicos diu multumq́ frustra fatigaue rat, paucis etiam mensibus sublato, puellam pristinæ reddidimus sanitati.

Naturalia clausa incisione curantur. XXVIII.

NAturalia fœminarũ interdũ claudi certum est. Id autem aut protinus in utero matris fit, aut hulceratione illarum partium: dum scilicet ex incuria medici sanescendo oris inter sese cõglutinatis iunguntur. Incidit in manus nostras puella quædam iam matura uiro, iam plenis nubilis annis, cui naturalia ipsa clauderent. Quæ cum ego huiusce modi malum curaturus inspicio, uideo membranulam quandam, quæ ipsius uuluæ ori opponeretur. Quare duabus lineis inter sese transuersis eam incido: statimq́ tanta ac tam ingenti impetu nigrior materia profluxit, ut grande lumen, quod tunc minister admouerat, extinxerit. Mẽses enim præteriti intus tenebantur: qui & dolores etiam singulis mensibus excitarent. Incisa itaq́ membranula ipsa, quicqd ex ea intus superfuit, hamo apprehendo amputoq́. Tum

reliquũ curæ ex aliorum hulcerum more prosequutus, haud multis pòst diebus puellam ipsam sanam, ac coniugio aptam relinquo.

Emortuus fœtus unco extrahitur. XXIX.

MAturo partu intus emortuo periclitabatur uxor pistoris mei, quare euocatum me rogat, ut deficienti illi quoquo modo opem feram. Ego uerò reputãs huiusmodi curationẽ inter difficillimas annumerari, & summam prudentiã ac moderationẽ desiderare (præsertim & quòd ita fœtus transuersus iaceret, ut ne manu quidem intra uuluam iniecta dirigi in caput aut in pedes posset, & quod imus uẽter iam frigesceret) de salute eius dubitare cœpi. Verũ hortante me coniuge ac cæteris assistentibus, ut nullum intentatum relinquerem auxilium, uncum uertebris dorsi infantis iniiciens paulatim extrahere nitor. Sed obstabat oris uuluæ compressio, & ceruix toto corpore replicata augebat extractionis difficultatẽ. Quare calido oleo naturalia foueo, quo paulatim hiante uul-

te uulua fœtum educo. Mulieremq́ꝫ ferè mortuam molli cubili recreo, & opportunis demum præsidijs curatam pristinæ sanitati restituo.

Natus ano clauso. XXX.

VIdimus duos pueros ab utero matris natos naturalibus clausis: horum alteri caro quædã in ano altius increuerat, adeò ut intestini exitus percipi nullo modo posset, quo factũ ut paucis diebus uitã finierit. Alteri uerò membrana quædã ipsius tantùm ani ori opponebatur: sed ea acutiori scalpro præcisa, statim sanatus est puer.

Naturalia erosa & clausa. XXXI.

MVlierem etiam uidimus, cui morbus quem uulgo Gallicũ appellant, totã uuluã eroserat, et incuria medici quicquid erosum fuerat, oris inuicem iũctis obcalluit. Indeq́ꝫ sola urina, & ea ex paruo quidẽ foramine reddebatur. Huic nos (ꝓpterea qđ callus ipse altior esset, q̃ꝫ ut citra mortis discrimen incidi posse extimaremus) consuluimus ut

incurata potius uiuere, quàm tãto se periculo exponere uellet.

Intestino tenuiori clauso uita finitur. XXXII.

STomacho longa & plura uitia cum ex alijs mẽbris, tum humoribus sibi innatis accidere consueuerũt. Vnde & nos uirũ nouimus quinquagenariũ, qui ex præterita ægritudine, quam χόλεραν Græci uocant, in qua simul & deiectio & uomitus accidũt, intestinaq́ torquentur, & bilis atra supra infraq́ erumpit, in perpetuum, & ut experientia docuit, penitus insanabilem inciderat uomitũ: unde & stomachus paucis admodum horis cibum cõtinebat, & aluus præterea nihil omnino reddebat, siue his leuibus siue etiam acribus medicamentis urgeretur. Assumebat enim cibos leuiores, & ad concoquendum faciles: quos ubi aliquot horas continuerat, quicquid ex his supererat euomebat. Alebatur autẽ parte tenuiori, quam uenæ à uentriculo attrahebãt: sicq́ miseram quidẽm, sed tamen longiusculam uitam duxit. Huius uero nos morbi causam indagãtes, puta-

uimus eam inteſtino tenuiori figi: eoq́ꝫ adeo obcalluiſſe, ut cum incoctus cibus ad iecur totus penetrare non poſſet, retrocederet & uomitu tãdem expelleret: id quod mortuo eo, experimento comprobare uolẽtes, corpus incidere tentauimus. Sed neſcio qua ſuperſtitiõe negantibus cognatis, uoti compotes fieri nequiuimus.

Ex abſceſſu meſenterij mortuus. XXXIII.

IVlianus quidã iuuenis alioquin optimus, alui torminibus uexabatur: inq́ꝫ dies magis magisq́ꝫ dolor uim capiebat: tantumq́ꝫ aberat ut huiuſcemodi doloris abditæ cauſæ deprehendi poſſent, ut nullis unq́ꝫ præſidijs tolli aut ſaltem leuari hoc malum potuerit. Omnia enim uiſcera ſana uidebãtur, iecur, lien & inteſtina omnia nullã doloris notã oſtendebant. Sed ille nihilominus magis magisq́ꝫ indies quàm ut tolerari poſſet urgente dolore ipſo, tandem è uita diſceſſcit. Quare mortui corpore inciſo, ut ſcilicet tanti mali cauſas dignoſceremus, & ſanis omnibus, ut putabamus, inuen-

tis uiſceribus, iubeo inteſtina amoueri. Quæ dum gladio diſcindit miniſter, in abſceſſum magnũ incurrit. Quo præciſo materia multa nigrior fœtẽſcꝗ proflu xit, encauſto ſutorio ſimilis. Ex quo manifeſtã eius mortis cauſam deprehendimus. Atra em̃ bilis eò cõfluẽs huiuſmodi abſceſſum paulatim effecerat.

Monialis inteſtinorũ dolore mortua. XXXIIII.

IN cœnobio diui Donati quod in agro Pulueroſæ eſt, religioſa mulier & eius cœnobij profeſſa fuit: quæ inteſtinorũ doloribus multis iam menſibus urgebatur: & aluus nihil niſi ægrè & durum, idꝗ tantum decimo quoꝗ die redebat. Cumꝗ nullis cõferẽtibus auxiliis diu multumꝗ hoc malo uexata, tandẽ naturæ conceſſerit, mortuæ corpus incidendum curauimus, & inuenta ſunt inteſtina altiori callo conſtricta: adeóque iter anguſtum relinquebat, ut deiectiones ægrè tranſmitti poſſent. Hoc tamen nos malũ, propterea quòd aluum prementi neſcio quid durum renitebatur, etiam ea uiuente præſenſeramus.

Tubercu-

Tuberculum supra cordis arteriam. XXXV.

MVlier Clara nomine & genere, cordis dolore interdũ uexabatᷣ, quẽ medici à malo ipsius cordis habitu fieri arbitrabantᷣ. Sed cum pluribus iam annis connubio iuncta non cõciperet, & sterilitatis causam quæreret, ac tollere conaretur multis præsidijs, ita demũ dolor ille cordis increbrescere occepit, ut perpetuus fieret. Ex quo sæpius etiã mulier ipsa deficiens, recreari uix poterat, donec eo iam magis magisq; inualescente è medio sublata est. Cæterum mortuæ corpore inciso, et frustulum nigrioris carnis in sinistro cordis uentriculo supra arteriam, quod mespilij formam haberet, & uulua à medio infrà uersus imam eius partem iũctis oris obcalluisse reperta est. Quare ut tuberculum illud mortis, ita hoc sterilitatis causam fuisse cognouimus.

Stomachum obcalluisse. XXXVI.

ANtonius Brunus affinis meus, cũ èmanducatum cibũ breuiori

quàm par fuerat temporis ſpatio conti-
neret, & ita ut erat incoctum reijceret, omnibus medicamentis, quæ ſtomachi uitijs adhiberi poſſunt, diligentiſſimè fotus eſt. Verùm cum ea nihil omnino proficerent, & corpori ob inopiam alimẽti iam abſumpto uix pellis & oſſa ſupereſſent, gradatim tandem ad mortem deductus eſt. Quare defuncti cadauere publicæ utilitatis gratia inciſo, inuentũ eſt hominis uentriculum ita iũctis oris ad imam eius partẽ obcalluiſſe, ut cum nihil inde ad inferiora tranſmittere potuerit, neceſſariò mors ſubſecuta eſt.

Callus in uenis meſaraicis. XXXVII.

PEtrus Aldimarius filiũ habuit, qui cum octauum iam ageret annum, in corruptum incidit appetitũ, quo calculos ruderáq; comedens in lentam tandem febriculam deuenit. Indeq; procedente tempore & uentriculus non continere & uenter fluere cœpit. Adeóque duobus his malis uexatus eſt puer, ut paucis etiã diebus è uita deceſſerit. Huius nos cum annuente patre emortuum

corpus

corpus incidissemus, repertus est callus inter uenas, quas mesaraicas appellant, à quo cum uenæ ipsæ adeò obstruerentur omnes, ut ferri inde sanguis ultrà nõ posset, necesse fuit puerũ è uita migrare.

Angina incisa. XXXVIII.

ANgina laborabat Nicolaus Rota, sed nullus tamen rubor aut tumor uel intus in gula uel extrà uidebatur. Et ipse nihilominus uix spiritũ trahens, quicquid præterea edendũ sumeret, per os statim & nares reijciebat. Quare cum arescente corpore, pallente iam facie, ac uertẽtibus oculis, spes om̃is sublata esset, & medici quibus cura demandata fuerat, ægrum amplius non audirent: me licet iuniorem cõuocant, ægrum ostendunt, & quæcunq; acta fuerant exponunt. At ego cum & ægrum ipsum ad mortem tendere, & medicos quæcunq; opportuna fuerant præsidia adhibuisse intelligerem, cœpi ipse mecũ cogitare, satius'ne esset ægrũ ipsum Deo & naturæ, ut cæteri medici, incuratum dimittere, an aliquod licet insolitũ,

utile tamen auxilium experiri. Verùm adhortantibus his qui ægro assistebant, cõsilium capio, & locum altioribus plagis sub ipsis maxillis, ac etiam supra collum incido, ex quo cũ sanies multa prorumperet, adeò morbus leuatus est, ut faucibus ipsis spiritum simul & cibũ capientibus, facilis dein ad bonam ualetudinem ægro ipsi daretur regressio.

Soluta umbilici unitas. XXXIX.

VIrum nouimus, quem dolor in pleniori intestino exortus adeò cruciaret, ut nullo interim spiritu erumpente mediũ hominem dissectũ iri putares: cumq; frustra multa auxilia adhiberent, & non solum clysteria ut in aluũ demittebãtur, eadem prorsus eijcerentur, sed & medicamenta quoq; tam nihil ex ipsa aluo deponerent, ut iter hinc inde clausum crederes. Tandem cucurbitula umbilico affixa (solet enim huiusmodi malum tali præsidio nõnunquam minui ac leuari) soluta est umbilici ipsius unitas: indeq; spiritus crassior erumpẽs, & cucurbitulam ipsam disiecit, & hominem

omni

omni amoto dolore pristinæ sanitati re= stituit.

Eleuatio stomachi. XL.

ANnum sextumdecimũ agenti Petri Guicciardini filio, ita ceruix uentriculi sine ullo doloris sensu eleua= batur, ut magnitudinem pomi cydonei æquaret: nec manifesta causa ostendeba tur, cum omni nucumẽto careret. Qua= re rem admodũ diligenter uestigare cœ pi, admiratus quænam abditæ huius ma li causæ esse possent. Sed cũ nullã pror= sus præter uẽtum inuenirem, à quo, uen triculi capite paulatim eleuato, ita eius= cemodi fieret tumor, ut & ossa etiam ta= lem situm adepta, nec ultrà ad pristinũ statum reuersa, figurã iam illis impres= sam tanquam naturalem custodirẽt: fer rea demũ lamina, quæ ex cingulo quo= que surgebat ferreo, stomachum com= primi iubeo, quo paulatim ad sedem suã retrocedere cogeretur: quod factũ est. Nam haud multò pòst hoc uno tantum præsidio ita repressus est tumor ille, ut ad pristinam ac naturalem formam ip=

ſius uētriculi ceruix penitus reuerſa ſit.

Menſes uomitione proiecti. XLI.

VRgebatur mulier acerbiſſimo capitis dolore, propterea quòd menſtrua non prouenirent: uerùm his demũ uomitione propulſis illico ſublatus eſt dolor. Sed cum id iterum iterumq́ꝫ ac ſæpius factitaſſet, abhorrens tandē mulier ab huiuſcemodi uitio, auxilium noſtrũ expoſcit: qui ſola ſanguinis miſſione ex uenula quæ ſub talo eſt, & mēſtrua ipſa ex naturali loco rite ꝓfluere coëgimus, & quod ſequēs eſt, mulierem ipſam priſtinæ ſanitati reſtituimus.

Cordis pars patefacta. XLII.

INciſo abſceſſu, qui ſupra ſeptimam uertebram innatum longo temporis interuallo ſinũ fecerat, intimamq́ꝫ membranam ſua ſanie prorſus eroſerat, minima ipſius cordis pars oculis cernētium patefacta eſt. Verùm cum hominē ſumma & diligentia & ſolicitudine curaremus, in priſtinã redactus eſt ſanitatē.

Pure

Pure per urinam deducto sanatus est pleureticus. XLIII.

ORitur sæpe in lateribus morbus, qui πλευρητικὸς à Græcis nominatur: huic tussis & febris accedit, & excreatur cũ pituita sanguis, graue profectò ac penè intolerabile malũ. Hoc cũ affligeretur Antonius quidam, & morbus iam ad maturitatẽ peruenisset, euacuato per urinam pure, quod rarò contingere solet, penitus sanatus est æger.

Ex tabe sanata sola sanguinis mißione. XLIIII.

ANno integro remorantibus menstruis mulier ad summam deducta est maciem: et uenæ eius ob nimiam plenitudinem nigriores factæ, admodũ extendebantur. Cumq; nullum cibi genus desideraret, consequens fuit, ut totum tabesceret corpus. Quare præsentaneum auxiliũ iudicauimus sanguinem mittere: qui cum primo die nigrior effluxisset, iubeo & altero idipsum fieri. Quo longè clariore emanante, factum est ut profluentibus dein mensibus, mulier quæ per annũ macie & tabe afficie-

batur, idoneis tandem medicamẽtis resumpta ad priſtinam facilè redierit ualetudinem.

Fluxus ſola oratione ſanatus. XLV.

Accidit interdũ uẽtrem fluere; & ſi diu negligas, difficilior plerunque fit eius curatio, quin & nõnunquã impoſſibilis. Quod & nos nuper experti ſumus. Iohannina Bencia affinis mea, mulier quidem & animo & genere nobilis, cum diu uentrem fluere permiſiſſet, eò tandem deuenit, ut nullis medicamentis, nullis auxilijs, nullis etiã balneis eiuſmodi fluxus ſiſti potuerit; augente interim hoc malum iugi & inuincibili humore, qui ex eius infirmo alioquin & imbecillo capite in uẽtriculum deſtillabat. Et licet interdum cõualeſcere uideretur, haud multò tamẽ pòſt reuertebatur id malũ, & quidẽ priore deterius. Quare omni ſpe medicæ artis depoſita, fratrẽ Dominicũ Piſcienſem ordinis prædicatorũ, de quo etiam ſuprà mentionẽ fecimus, adit; morbũ quo tenetur exponit; ſe omni humano auxilio deſtitu-

destitutam affirmat: lachrymis & preci-
bus orat, ut laboranti sibi sua & fide &
oratiõe opem ferat. Quod cum ille se fa
cturũ pro uiribus annuisset, admota ma
nu mulieris caput comprimit. Tum fu-
sa oratiõe, ac signo Crucis ibidem im-
presso, abire iubet. Reuersa domũ, cum
eo ipso atq; item altero die uẽter nihil ex
consuetudine præterquàm sanum red-
deret, me conuenit, rem ordine narrat,
seq; penitus liberam affirmat. Quod et-
si Deo, cui possibilia sunt omnia, factu
facillimũ scirem: uerebar tamen ne qđ
habebat inuotis mulier, id iam se adeptã
persuaderet: cũ nihilominus morbus ip
se paulò pòst uel etiã deterior reuersu-
rus esset. Sed cũ ita tertius peragat an-
nus, ex quo fluxus ipse suppressus est,
nec ulla interim apparuerit uel etiã ap-
pareat regressiõis nota, ingenuè & fate
mur & prædicamus, hoc solo nutu Dei
per fidẽ & orationẽ sanctissimi illius ui
ri factum fuisse, ad laudem & gloriam
nominis sui, qđ est benedictũ in secula.

Gelatus in comitialem incidit morbum. XLVI.

Hieronymus Bencius, cum è diui Laurentij æde, ubi declamãtis ad populum concionem audierat, domum ſeſe recepiſſet: & reſerato oſtio ad cubiculum uſq;, in quo uxor ex partu languens iacebat, aſcẽdiſſet: immotus ibidem & inconniuis oculis ſtetit. Quem cum uxor diutius intuita rogaſſet tandẽ quid ageret: & ille nihiloſecius expergiſceret, accerſitis famulis in eodẽ quo illa iacebat cubili, coniugem locari iubet. Qui ubi tandem ſenſum recepit, nihil eorũ quæ ipſe interim egerat, recordabatur. Quare cõuocatis medicis, quibus & ipſe interfui, plurimo ſermone quæſitũ eſt, an ille toto eo tempore obdormierit, ut accidit multis: qui ea perſæpe dormientes faciunt, quæ munia ſolum uidentur eſſe uigilantium: an alio quopiam morbo laborauerit. Ac tandẽ conuenimus illum eo tempore non dormiſſe, ſed rigidum potius uel attonitum aut gelatum fuiſſe. Quam quidem ſententiam etiam ſubſequens malum manifeſtiſſimè

festissimè cõprobauit, cum paulò pòst in comitialem inciderit morbũ: quo nullis prorsus cõferentibus auxilijs multos iam annos miserabiliter cadit.

Amissa atq; iterum recuperata memoria. XLVII.

EX præterito morbo conualescens Antonius quidam Senensis, quæcũq; memoria fixa tenuerat, ita prorsus oblitus est, ut ne rerum quidem nomina reminisceretur. Dumq; Florẽtiæ esset, Senis se esse putabat: sed ne amicos quidem ab inimicis discernebat: quos etiã immutatis nominibus uocitabat. Quare eo uelut prorsus amenti, atque deliro naturæ dimisso, cum uigesimo iam die hoc malo angeretur, cœpit uenter fluere, uariaq; & diuersa strigmẽta, sanguinem, bilem uiridem, muccosasq; deiectiões deponere. Quo factum ut mens simul & memoria redirẽt, licet nihil eorum quæ ipse interim gesserat, recordaretur.

Ex distensione neruorũ mors subsequuta. XLVIII.

MIttere sanguinem ut expeditissimum perito est, sic ignaro peri-

culosissimũ. Iuuenem uidimus cui cum ex brachio sanguis mitteretur, & neruũ scalpellum attigisset, statim sequuta est neruorum distẽsio: quæ hominẽ ita crudeliter afflictauit, ut paucis etiã diebus laboranti illi uitam eripuerit.

Ex incisa arteria ferè mortuus. XLIX.

ORta, ut assolet, inter commẽsales lite, cum quidam è conuiuis arreptum calicem in Alfonsi Hispani familiaris nostri faciem proiecisset, & incisa arteria ac cute dilacerata sanguis copiosior erumperet, multa quidẽ sed frustra adhibita sunt medicamenta: cum ea sit arteriæ ipsius cõditio, ut incisa coire aut sanescere citra ustionẽ non possit. Quare cũ sanguis ipse eò semper uehementius proflueret, quò plura experirentur auxilia, & homo iam uenis exhaustis prorsus deficeret, ad me tandem mittũt rogantes, ut si fieri possit, amicũ à morte præripiam. Venio igitur ad eum, uulnus inspicio, uirtutem probo, nullum superesse præsidiũ iudico, præter ustionem solam. Quare ea qua potui diligentia in=

tia incisam arteriã candenti ferro inuro, & statim suppressus est sanguis: quo inhibito, reliquũ curæ facilem satis & expeditũ habuit ad sanitatem regressum.

Mulier ex copiosa sanguinis mißione emortua. L.

QVidam nostri seculi medicus, philosophiæ magis quàm medicæ artis peritus, cum uxorem Iacobi Pactij equitis Florentini curaret, quæ duabus tertianis uexabatur, mittere sanguinem utilissimum iudicauit: quod & ego, cui simul cum illo cura demandata erat, penitus non improbabam: cũ bilis sanguini mixta uideretur. Sed & multa tamen pituita exuberabat. Igitur uenam incidendã quidẽ censui: sed tentandi gratia, ut scilicet colorem sanguinis habitumq́ꝫ discerneremus. Qui si crassus & niger esset, taquàm uitiosus largius effunderetur: sin contrà ruber & pellucens, tanquàm integer seruaretur. Incisa igitur uena sanguis effluxit rubicũdior. Quare dimisso iam caliculo, supprimendum censui; ille cõtrà deducendum. Verum

cum eſſet ipſe ætate prouectior, eius ma gis ſententiæ inhærentibus coniuge & propinquis, ad duas ſanè libras ſanguinis miſerunt æquè lucidi ac rubri. Quare cura omni ſeniori illi relicta protinus diſcedo, palàm affirmans atque conteſtans iugulatam eſſe mulierem: quod et paulopoſt rei euentus facilè comprobauit, cum paucis admodum diebus mulier ipſa defectis iam uiribus, ac uoce penitus exhauſta in ſomnum inciderit grauiorem: ex quo tandem mors ſubſequuta eſt, ob nimiam ſcilicet humorum cruditatem, quæ ex ingenti ſanguinis profuſione contingere ſolet. Quare debet ſemper medicus, ſi diligens ſit, in omni ſanguinis miſſione conſiderare utrum craſſus et niger, an contrà ruber & pellucidus ſit. Quòd ſi niger & craſſus, ut uitioſum effundi: ſin contrà ruber & pellucidus, ut integrum ſupprimi iubere. Tantum enim abeſt ut eiuſmodi ſanguinis rubri ſcilicet atque pellucidi miſſio proſit, ut etiam plurimum ſemper obſit. Sed excidit homini documentum filij

ſeni:

ſeni: quo in miſſione ſanguinis cum bilis accenſionem, tum & pituitæ cruditatem plurimum cauendam cenſuit.

Epoto ueratro iugulatus. LI.

LAboranti cuidam Zenobio nomine quartana, imperitus quidã medicus ueratrum, quod inter cætera medicamenta periculoſiſſimum eſt, temere propinauit. Ex quo ſtatim ſubſequuta eſt cum crebra ac uehemẽs alui ductio, tum ſpiritus tam grauis ac difficilis attractio, ut cum me filij ad hominem iam in mortis articulo poſitũ aduocaſſent, & nullis potuiſſet præſidijs tanto malo ſuccurri, intra ſex tantũ horarũ ſpatiũ mors eum uiolenta è medio ſubtraxerit. Cauendum igitur eſt ne huiuſcemodi medicamenta, quæ ueneni naturam habẽt, & ſtomachũ cæteraq́ꝫ membra plurimũ lædunt, abſq́ꝫ eo exhibeamus quod nocumentum auferre poſſit: cum & aluũ per ſe ſæpius ducant, & hominem nõ ſolùm infirment, ſed pleruncꝫ etiam morti tradant.

Vomitu ex albo ueratro mors ſubſequuta. LII.

VOmitus ut interdũ ſanis utilis, ſic aduerſa ualetudine laborantibus nonnunquam neceſſarius. Verùm multum intereſt quo modo & quare fiat. Hoc autem officium diligẽtis medici eſſe debet. Nam cum quidam medicæ artis imperitus albo ueratro uomitum ciere ſolitus, om̃e genus morbi tali præſidio ſeſe curaturum polliceretur, accidit fortè ut in manus eius inciderit quidam, qui duobus iam annis uentriculi uitio laboraret, nec ullis unquam medicamentis ſanari potuerit: utpote quod cum ſuapte natura difficile ſit, difficillimũ etiam redditur in corpore infirmo atque imbecillo, præſertim ubi licentiori quadam libertate utatur æger. Album igitur & huic ueratrum ex more exhibente illo, plurimum bilis ac pituitæ, tum nigram bilem, poſtremò ſanguinẽ eiecit: quibus ita deductis, imbecillitas primò & quidem magna, tum ſudor frigidus toto capite ac thorace emanans, nouiſſimè & mors ſubſequuta eſt. Nõ igitur ignora-

re dili-

re diligens medicus debet huiuſcemodi medicamentũ nõ ſemper ægris prodeſſe, ſanis uerò ſemper obeſſe. Nã ubi robuſtum corpus nactus fueris, & uentriculus ſit potẽs, morbusq; lõgior ac difficilis, ut comitialis & inſania, aut pares his, tunc album ueratrũ rite ac citra medici culpam exhibi poteſt.

Repreſſo ſudore ſanatus. LIII.

CVm haud poſtremæ notæ Medicus nobilem quendam ciuem curaret, & febribus malè hominem habentibus, uniuerſum corpus in ſudorem reſolueretur, uireſq; omnes ita deficerẽt, ut cognati plurimũ de ſalute eius addubitarẽt, me aduocant, ægrũ oſtendũt, curam enarrant. Inſpiciẽs itaq; hominem, oculos admodũ graues ac pallorẽ faciei intueor: quin & intima eius præcordia calore uehementi affici aduerto. Quare ſudorẽ inæqualẽ, qui finiri nõ poterat, ſtatim amotis ueſtibus, qbus ille de pręcepto medici tegebatͣ, ut incõgruum & inutilem ſupprimere nitimur: præſertim qđ eo uires ægri penitus conuelli uide-

bant: tum corpus euētari, ægrumq́ etiā frigidioribus potionibus uti iubeo: donec ſudor, quē medicus ille om̄i ſtudio ciebat, prorſus ſupprimeret. Quod ubi factum eſt, immutari ſtatim uideas ægri faciem, uires redire, calorem reprimi, febrem remitti, ac non multò pòſt hominem ad priſtinam ſanitatem reuerti.

Peſtilenti febre arreptus. LIIII.

PHilippus Stroza & nobilitate generis, & opum affluentia inſignis, lenta quadam febricula laborabat: & ex medicis, qui ægrum uiderant, alij quotidianam, ſed leuem, alij ob algorē contractā febrem putabant; nec defuit qui crederet à capite diſtillaſſe materiam, quæ putreſcentem febriculā gigneret. At nos cum eam ipſam diligentiori examine perpenderemus, peſtilentem iudicauimus. Quam ſententiam deridentes medici, cum leuatam iam febrem exiſtimarent (latebat enim anguis in herba) familiari tantum medico curam dimittunt. At æger, qui iam cōualuiſſe uidebatur, aduentante die ſeptimo, in neruo

rum

rum ſubitò reſolutionem & febrem incidit ardeſcentem: qua exhauſta uoce, & corporis uiribus conuulſis, paucis etiam diebus mors ſubſequuta eſt. Magna igitur eſſe debet medicorũ circumſpectio in cognoſcẽdis curandiſq; morbis: ne inſcitia (ut ſæpe fit) atq; indiligentia eorum ægri ipſi, qui ſeſe illis penitus tradunt atque committunt, periclitentur.

Claudus ex loco eminentiori cadens liberũ recipit greſſum. LV.

NIcolaus architectus cũ de eminenti turri præceps ruiſſet, tantũ abfuit, ut ex tam ingenti caſu incommodũ aliquod reportarit, ut cum antea altero claudicaret pede, rectè deinceps ambulauerit. Quin & puerum uidimus, qui peſtilenti morbo correptus curatusque idem malum effugerit. Nam ubi prius utroq; pede claudicaret, ut niſi duobus fulcitus baculis omnino incedere non poſſet, curatus liberè, id eſt ſine aliquo adminiculo incedebat.

Scorpiõe ictus glacie se opprimi querebatur. LVI.

FAmulum habui, qui scorpiõe ictus tanto subitò ac tam frigido sudore toto corpore perfusus est, ut algentissima niue atq; glacie sese opprimi quereretur. Verum cum algenti illi solam thyriacam ex uino potẽtiori exhibuissem, illico curatus est.

Fames ualida. LVII.

CVm uniuersam penè Italiam anno salutis nonagesimosexto supra millesimum quadringẽtesimum tam ingẽs ac ualida fames afflictaret, ut passim multi publicis in uijs atq; plateis deficerẽt: multi etiam ex malis ac noxijs nutrimẽtis in uarias inciderent ægritudines: uidimus ex his q̃plurimos qui ex diutina fame escam abundantiorẽ nacti fuerant, dum pleniori utuntur uictu, paucis diebus uitam finisse: adeò noxia atq; perniciosa est nimia satietas, quam multa præcessit inedia. Mulieres quoq; uidimus, quæ pueris quos lactarent infectis, & se & illos ad mortem deducerẽt. Plurimi tamen ex his qui ad ualitudina

rium

riũ deducebant̃, medicorũ cura & diligentia ad pristinã reuertebãtur sanitatẽ.

Mulier ferè mortua ex sanguinis mißione. LVIII.

MVlierem uidimus, quæ cũ pleniori & obeso esset corpore, & in ardescentẽ incidisset febrem, usa cuiusdã imperiti medici consilio, sanguinẽ ex uena copiosum emisit. Quo statim grauiter afflictata in multò deteriorem prolapsa est ualetudinem. Nam ut in tenuioribus magis sanguis, ita & in plenioribus magis caro abũdat. Nos igitur cum ad mulierem uocati, eam summo in discrimine positam inueniremus, alias omnino obseruationes adhibẽdas censuimus, eas uidelicet, ad quas dirigi curantis consiliũ debet. Quare defectã dudũ uirtutũ omni genere auxilij resumo, donec corporis uiribus redeuntibus materiam quam exuberare cognouerã, medicamẽto deponendã censeo: quod cũ ex frigidioribus rebus ægrotanti exhibuissem, illico extincta est febris, & mulier de cuius iam funere cogitabat̃, per Dei gratiam rite curata conualuit.

Ex quartana malè curata, ſanitas, tum & mors ſubſequuta. LIX.

VIllicus meus annuam quartanam patiebatur, & conſilio neſcio cuius empirici faſelum ex omphacino, & alia uſq; ad ſatietatem deuorãs, ad uiginti inſuper uini meri calices ebibit: quo adeò inflatus eſt, ut è foco prope quem cœnauerat, amoueri penitus non poſſet. Quare ſtrato humi pallio quo induebatur, ibidẽ pernoctauit. Matutino autem aduentãte tempore, diffuſus per omnia membra ſudor eſt: quo finito, uomitu quicquid comederat reiecit, & cũ eo pituitoſa excrementa quamplurima. Quo factum ut ex quartana quoq;, qua integrum iam annũ laborauerat, extruſa, ualetudinem ſit conſequutus: quam quidem rem ualidioris naturæ ui acceptam referendam arbitrati ſumus. Nam amota iam cruditate, & humorum concoctione longiori ſpacio perfecta, natura quæ ſua pigritia torpebat, ab ignauia & torpore propulſa, contra morbum & cauſas uires excitat, quibus tandem ſudore

dore ipso atq; uomitu & morbũ & errorem disiecit. Quod profectò eadem febris comprobauit. Nam cum quatuor post annos hominem iterum inuasisset, & ille putaret eodem posse se auxilio febrem tollere, quo olim fecerat, statim, hoc est inter morbi ipsius initia, dũ scilicet cruda esset adhuc ipsa materia atque incocta, pleniori ut cum uictu & potione abundantiori ex ijsdem quibus suprà rebus abusus, ante solis ortum eodẽ quo decubuerat loco mortuus inuẽtus est.

Molesta tussis sola sanguinis missione curata. LX.

MOlesta tussi afficiebatur puella quędam quintum & decimum agẽs annum: quæ tametsi per se grauis & formidabilis esset, eo tamẽ sese medico formidabiliorẽ reddebat, quòd unà sepius cũ ea sanguinẽ expuerat puella. Quamobrem cum medici ipsi, quibus cura demandata erat, & hãc paulatim tabe consumptũ iri, et nullis se posse auxilijs huic malo succurrere uiderent, eam tandem Deo & naturæ dimiserũt. Verum pater

(ut est amor) ne qd omnino intentatum relinqueret, me aduocat, puellā ostēdit, & quæ hactenus facta sunt, plurimo sermone enarrat. At ego sputū primò colligi iubeo, qd' ubi nulla pus subsequi, & sanguinē ipsum minimè etiā purulētum inspicerē, cœpi mecū cogitare quænam huius uitij causa esset, et an sanguis ipse ex ore uel ex gingiuis, aut fortè ex naribus efferret: sed cū ex his locis absq; ulla ꝓfluat tussi, aliūde eum emanare arbitratus sum. Quæro igit' si is ex gutture, aut ex arterijs hulceratis, uel ex pulmone potius, siue ex pectore, aut forte ex iecinore ꝓrūperet: sed cū nulla essent certa indicia, puellā interrogo an menses illi profluāt (solent eīm fœminæ, qbus sanguis per menstrua non respondet, sæpe eum aut cū tussi expuere, aut uomitione propellere) Sed negante illa, sanguinem mittendū censeo ex uenis, quæ sub talo sunt: idq; singulis mensibus faciendum, donec isto atq; item alijs auxilijs, quæ sanguinē promouere consueuerūt, & menses ipsi rite profluere cœperunt,

& puella quæ iam macie & tabe confe- cta uideretur, sex tantum mensium spacio uires & corpus resumens, ad pristinam adiuuãte Deo reuersa est sanitatẽ.

Difficultate spirandi mortuus. LXI.

MVltos difficultate spirandi laborasse cognouimus: sed inter cæteros quendam, qui non nisi recta ceruice spiritum trahens, paulatim ex angustia deficiente uirtute toto corpore pallidus ac liuens efficiebat: nullus tamen in pectore, nullus in præcordijs dolor erat: sed nec sibilus aliquis ob angustias, per quas spiritus euadit percipiebat: ex quo iudicare posses ægritudinem in pectore cõcipi. Verùm cũ paucos post dies inualescẽte morbo ipso, & nullis cõferentibus præsidijs, æger è uita migrasset, incidere mortuũ decernimus, ut huius mali abditas ac latentes causas deprehẽderemus. Quod ubi factũ est, inuenimus non parũ atræ bilis & sanguinis nigrioris in eius corde coisse: unde etiã per uenas diffusus, nõ est mirũ si corrumpente eo spiritũ ipsum, hominem ad festinam

mortem deduxerit, quod etiam autore Galeno aliàs contigiſſe cognouimus.

Ex horrore flammæ in febrim incido. LXII.

IN Appiani baſilica, cũ adhuc eſſem admodum iuuenis, unà cum Peregrino Allio literis Græcis operam dabam ſub præceptore Franciſco Caſtilionenſi religioſo uiro. Vbi cum ſemel è cubili ſummo diluculo conſurgens ædem ipſam ingrederer, uixq́ꝫ limen trãſiliſſem, ecce uideo flammas ab imo pauimento iterum atq́ꝫ iterũ ſurſum ferri: horreſco, & pauẽs ac tremẽs curſim, ut poteram, cubile ipſum repeto. Me uerò Peregrinus condiſcipulus meus, qui adhuc in lectulo quieſcebat, cum anhelãtem & ueluti lymphatum inſpiceret, rogat quid nam mali mihi contigerit: uix ego trahebam ſpiritum, rem tamen ut potui explico. Admiratus & ipſe, timere cœpit. Sed cum interim præceptor noſter è cubili ſurrexiſſet, hominem couenimus, rem exponimus, cauſam quærimus. Ille uerò, ut erat uir doctus & in philoſophia ſatis eruditus, uapores, inquit, ex

cadaue

cadaueribus mortuorum eleuantur, qui calidissimum hunc aërem nacti (id enim accidit in ipso mense Iulij) facilè inflammantur, quod & nos etiam sæpius uidimus, ac propterea nihil uobis pertimescendum est. Hoc etsi ego autoritate uiri suasus uerum iudico, ex præcedẽti nihilominus timore, ex quo spiritus ipsi cateruatim uersus cor regredientes inflammati sunt, in eam quam Græci ἐφημέραν uocant, febrem incidi.

Puer horrore mortuus. LXIII.

PVerũ nouimus, qui dũ rure paterno degeret, singulisq; diebus ad uicinum sacerdotẽ studendi causa, ut fit, summo manè mitteretur à patre, accidit semel ut propè iam intranti illi sacerdotis ipsius ædes, essetq; cœlum paululum adhuc subobscurũ, præstò fuerint duo uiri nigris uestibus obuoluti; quibus adeò perterritus est puer, ut toto corpore contremiscens, altaq; uoce auxilium clamitans, in admirabilem sanè ægritudinem, ac demum in mortem inciderit. Nam stato tempore, id est, octauo quo-

que die, & eadē fermè hora in eundem ſemper horrorē atq; clamorem proruebat, donec tabe conſumptus, uitam quę nullis præſidijs contineri potuit, miſerabiliter finiuit.

Tußi ſciſſa eſt tunica inteſtinorum. LXIIII.

TVſſi ualida urgebatur puer ſextū agens annum, dumq; uehemētius tuſſiret, ſciſſa eſt tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus inteſtina debet & in ſcrotum, Græci ὄσχεον uocant, inteſtina deuoluta, herniam fecerūt, qua & in hūc uſq; diem laborat. Tanta em̄ fuit ſciſſura, ut nec coire hactenus ullis potuerit medicamentis, nec etiam in futurum niſi ſola uſtione coibit.

Ictus in cordis tunica conualuit. LXV.

EX nobili familia nati fratres duo, eadem etiam cohabitantes domo, atq; eodē uictu uiuentes, dum inter cœnandū orta (ut fit) inter eos lite, alter alterum gladio quo in menſa uteretur, in ipſius cordis ſede percuſſiſſet, plurimusque ex uulnere ſanguis efferretur, languescunt illico uenæ, pallet facies, ſudor

dor frigidus toto corpore manat, arteriæ non eleuantur, omniáq; demũ mortis signa apparent. Verùm ne nihil omnino agerem, iubeo hominẽ his rebus foueri, qbus cordis uires refici possint. cumq; æger usq; ad mediã noctem eodem sese habitu haberet, & de eius potius funere quàm de uita cogitaret, cœpit paulatim spiritus reuerti. Quare sumpta spe curam prosequor, donec alijs atque item alijs præsidijs usus, hominem tandem, Deo adiuuante, ad pristinã sanitatem reduco: ex quo planè cognouimus nõ ictũ cor, ut putabamus, sed eius tantũ tunicam leuiter fuisse perstrictã.

Vitium stomachi curatum. LXVI.

INter stomachi uitia uulgatissimũ est resolutio, quæ uel calidiori, aut frigidiori, humidioriue, uel etiam sicciori habitu plerunque solet accidere. Nobilis quidam uir Ioannes nomine, ciuis Neapolitanus, cum diu eiuscemodi uitio laborasset, & ex medicis nostri seculi plurimi hominem curandum suscepissent, nullum tamen inuenire

auxilium idoneum potuit. Quare cum Florentiam demum ueniens me conuenisset, & quæ hactenus ex medicorum consilio huic uitio adhibuisset, ordine enarrasset: ex his quibus usus est præsidijs facilè cognouimus existimasse medicos omes eum malo habitu frigido laborare. Nos uerò & præcedēti curatione, & alijs haud sanè obscuris indicijs, longè aliter sentientes, calidiori habitu eius affici uentriculum arbitrati sumus. Quare ad ea auxilia conuersi, quæ aridum iam ac tabe penè cōsumptum corpus desiderare uidebātur, primo die solas lactuculas ex aceto & oleo cōmanducare præcipimus: quas cū utiles stomacho atq; idoneas percepisset, iubeo dimittat balneum, frictiones, exercitationes, præsertim superiorum partium, unctiones omnes & cibos calidiores, quibus hactenus usus fuerat, & ad frigidos potius ac difficilioris concoctionis sese conuertat. Vnde & ueruecem magis quàm auem aut uenationem aut piscem, nisi sit generis durioris, in hac sua

ægritu-

ægritudine cõlaudo. Potui quoq; aptiſsimum illi uinum frigidum & auſterũ, ineptiſſimũ calidũ & craſſum eſſe pronuncio. Quibus cum ille auſcultaſſet, ac diligentiſſimè ea exequutus fuiſſet, hoc tantum genere uictus & frigidioribus medicamentis uſus, infra duos menſes priſtinam recuperauit ſanitatem.

Melicera pro carbũculo iudicata. LXVII.

HVlcere ſubalbido furunculo ſimile, quod Græci eo quod faui ſpeciem habeat, μελικηρὶν uocant, uir quidã nomine Paulus laborabat. Id autem cũ febrem & inflammationem ingentẽ excitaſſet, medicum quidẽ, ſed qui per imperitiam hulceris ipſius naturam minimè calleret, accerſit. Eo autem iudicante hulcus ipſum peſtilens eſſe (uenit em̃ cum dolore uehementi, habensq; foramina per quæ fertur, humor glutinoſus uix matureſcit) ſimul omnes cum conſulente medico aufugiunt, uni tantùm uiro ægri curam cõmendãtes. Quo factũ, ut deſperatis penè rebus ad me mitteret, rogaretq; aliquod pereũti illi auxilium ferrem.

ferrem. Sciſcitor itaq; nuncium hulceris naturã, & an increſcat ægritudo, uel deficiat uirtus, aut fortè eo loco peſtilẽtes ſint febres. Refertur hulcus nõ nigrum, nõ lucens, non pallidum eſſe, febrem lentam & penè leuatã, ſana omnia in regione illa. Accedo igitur ad hominem: cumq; contrà hilari uultu reſediſſem, faciem primò oculosq; ſano ſimiles intueor. Tum arteriã tangens, pleniorem quoq; reperio. Quare ſanitatem pollicitus hulcus detego, & omni ſublato timore familiã reuocans curã aggredior: quæ licet difficilis admodum fuerit, ad integram tamen ſanitatem æger ille per Dei gratiam reuerſus eſt.

Inciſus coles ſanari nequiuit. LXVIII.

MEdium ſibi colem lino, & quidẽ arctè deligauerat puer inſcijs parẽtibus, eòque tandiu uinctus fuit, donec plagæ altitudo ad iter urinæ aſcenderet duobus locis: quibus & quòd urina ipſa inde mitteretur, & quod utrinq; oræ obcalluerint, coire hulcus atq; conglutinari nullis unquã remedijs potuit.

Monachũ

Monachũ etiam ijsdem fermè tẽporibus uidimus atque curauimus, qui ob zelũ castitatis, sed indiscretũ tamẽ ac minimè secundum Dei rationabile obsequium, colem sibi & quidẽ pubetenus prorsus absciderat: ex quo cum sanguis copiosus efflueret, ac propterea medicamenta omnia uinceret & exuperaret, arduum sanè ac laboriosum fuit eiusmodi profluuiũ sistere atq; inhibere. Oportuit enim singulas uenas, quæ sanguinẽ fundebant apprehendere, atq; ita deligare, ut ora præclusa coirent. Quo facto reliquum curæ genus haud admodum difficile fuit, donec uulnus ritè curatum penitus sanesceret.

Qui ex nimia plenitudine mori uideretur, sola sanguinis mißione sanatur. LXIX.

PLurimum in morbis iudicandis tribuunt uenarũ pulsui: qui si imbecilli exiguiq; fuerint, mortem plerunq; denunciãt: sin contrà magni & pleniores, salutis spem afferũt. Nos tamẽ Philippũ quẽdã uidimus, hominẽ sanè ebriosum & corpulentũ, cuius pulsus, dũ languẽs

in lecto iaceret, ita paruus & exilis erat ut cũ à medico percipi uix poſſet, facilè crederes mortem inſtare, ni facies rubicũdior, oculi, dentes & uenæ pleniores iudicio prudentis medici obſtitiſſent. Quare tãti mali cauſam diligẽtius ꝑquirens, iudico id ob nimiam ſaturitatẽ ſanguinisq́ abundantiam fieri, nullum'que opportunius adhiberi poſſe auxiliũ, q̃ ſanguinis ipſius celerrimã miſſionem. Sed obſtabãt cognati atq́ amici, uerentes ne huiuſcemodi præſidiũ hominem celerius occideret. Inſtanti tamen mihi ac certam, ſi id fieri permitterent, ſalutẽ pollicenti, tandem acquieuerunt. Quare accerſito ſtatim miniſtro ſanguis mittitur. Nec mora pulſus ſimul & uires tam celeriter redeunt, ut feſtinantior affuerit ipſa ſanitas, q́ mors quæ pro foribus excubare uiſa eſt, affutura crederetũ.

Abſceſſus ſola thyriaca apertus. LXX.

PVerulus thoracis abſceſſu laborabat, & cũ condita et matura iam ſuppuratio eſſet, timeretq́ ille hulcus mucrone diſcindi, thyriacam ſuperpono: qua

qua non ſecus unius tantum noctis ſpacio abſceſſus ipſe apertus eſt, ac ſi ſcalpello fuiſſet inciſus: ex quo facilè coniectari poteſt, quanta ſit huius compoſiti uis; qđ & nos ſæpe aliàs experti ſumus.

Gangrænam mortem afferre, ſi à digito pedis inceperit. LXXI.

QVi hulcere nigro, quod γάγγραιναν Græci appellant, afficiuntur, ſi id à digito pedis inceperit, & patiẽs fuerit ſenex, uel ex his quorum corpus mali habitus ſit, celerius moriuntur. Nouimus nos Cambinum, Carolum & Thomam ciues Florẽtinos, necnon & alios q̃plurimos huiuſcemodi affectos uitio, paucis diebus uitam finiſſe. Incipit eñ caro ipſa in hulcere paulatim nigreſcere uel liuens fieri: quin & arida interim atq; ſicca, & cutis circumiacens nigris impletur puſtulis: tum & quæ proxima eſt, amiſſo ſenſu liuet pallet'que. Nec prius ſerpere id malũ deſinit, donec oſſa etiam inficiat: quòd ſi quicquid aridum eſt, & proximum quoq; locum, uel uſq; ad ſanũ prorſus excideris, reuertitur ta-

men & serpit. Verùm cum aliæ corporis partes hoc malo afficiũtur, plerunq; sanantur. In illiusmodi autem membris & calor est debilis, & nerui insunt plurimi, qui cum inficiunt̃, facilè etiam circumiacẽtia loca inurunt. Vnde & proxima his statim liuent, donec totũ membrum miserabiliter occupant atque inficiunt.

Ex carcinomate exagitato mors subsequuta. XLII.

VEnit ad me Philippus quidam textor, cui in leua frontis parte tumor erat immobilis inæqualisq;, ac furunculo persimilis, qui etiã tangenti renitebatur. Et uenæ, quæ circa locũ erãt, pallidæ quodammodo ac liuore quodã suffusæ, ultra decorũ intumuerãt. Cũq; nostrũ de hac re perquisiuisset iudiciũ, cõsulo ne id malũ quoquo modo tollere præsumat, sed leuioribus tantũ medicamentis illi blandiat̃. Discessit, & cum in manus imperiti cuiusdã medici incidisset, tota iam intra mẽsem fronte & altero oculo eroso, ad me reuertit̃, sciscitansq;

tansq́ an aliqua salutis supersit spes, utinã, inquit, consulẽti tibi fidẽ habuissem. Moneo igit̃ iterũ hominẽ, ne ullis praeterea utatur medicamẽtis praeterq́ blandis ac leuioribus. Quòd si asperis et erodẽtibus uteret̃, fore ut breui reliquũ etiã ipsius faciei eroderet̃. Audiuit tandẽ homo, & cũ his tantum quae nos illi secundum hanc intentionẽ parauimus, medicamentis semper usus fuisset, ut ad decimum usq́ annũ superuixit, ita certè si id malũ ex consilio nostro nunq̃ agitasset, ad ultimum senectutis peruenisset.

Ramice curatus interijt. LXXIII.

RAmice uexabat̃ Michelotius noster: cumq́ sacerdoti cuidam, qui hanc artem profiteretur, sese curandum tradidisset, duplici statim ille fascia inguen deuinxit, nõ repulso in superiores parteis intestino. Dũq́ membrũ ipsum ita ut erat arctius obligatũ in octauum usq́ diẽ detinuisset, essetq́ interim ingẽs exorta inflãmatio, quę hominẽ ea parte, qua fascia deligabat̃, miserabiliter cruciaret, repẽte om̃is amotus est dolor, &

ipse delirare cœpit. Quare cum ad ægrũ serò quidẽ, sed tamẽ uocatus accederẽ, primò arteriã tango: cumq; pulsum uix eleuari perciperẽ, et faciẽ inspectãs, eam nimio pallore suffusam, atq; ipsos etiam oculos cauos effectos aduerterẽ, iubeo sacerdotẽ accersant: tum fascia illa soluta, locũ undiq; nigrescentẽ cerno: cũq; specillum hulceri imponerem, omnia cicumiacẽtia intestina iam putruisse cognosco. Ex quo paucis dein horis è uita discedens, utile nobis documentum sua morte reliquit, languentium scilicet corpora non sacerdotibus, quibus tantum animarum cura demandata est, sed doctioribus medicis tradi oportere.

Puella oculo perforato uisum recuperauit. LXXIIII.

QVatuor annos natam puellam uidimus, cui dum ea nodum in panno soluere acuto gladio niteretur, resiliens mucro oculum dextrum percussit: quo perforata ipsius oculi tunica, plurimus statim inde fluxit humor: quare & si ui-

ſi uiſum prorſus amiſerit, ipſum tamen haud multò pòſt rite curata recepit. Tã ta enim ineſt uis tenellæ illi ætati, ut hũc ipſum oculi humorem (quod ſæpe accidit) in integrum reficere poſſit.

Iocinoris uitio laborans ſola ſanguinis miſsione ſanatur. LXXV.

IOcinoris uitio afficiebatur Antonius Brunelleſcus, ex quo cum uehemẽs dolor à latere dextro in iugulum humerumq; tranſmitteretur, et bilem quoque euomentem ægrum ſingultus etiam penè ſtrangularet, ad hominem uocatus accedo. Verùm cum huiuſcemodi uitij notæ eædem ferè ſint, quæ & lateris abſceſſum indicant, medicus cui primũ ægri cura demandata fuerat, medicamentis & cataplaſmatis eius pectori medebatur. Sed cum dolor & anguſtiæ magis magiſq; hominem afflictarẽt, iubeo ſanguinem ex uena, quæ ad iecur dirigitur, ſtatim diduci: & quæ ille inſuper pectori adhibuerat medicamenta, iocinori ipſi impono, donec æger ad ſanitatem reuertitẽ: quod paucis diebus factũ eſt.

Oportet igitur medicum non ſolũ morbum cognoſcere, ſed & locum etiam in quo ſit, diligentius perſcrutari.

Sciſſo inteſtino graciliori uita amittitur. LXXVI.

TEnuioris inteſtini morbo, quẽ Græci εἴλεον uocãt, urgeri cõmune eſt: ſed urgeri, ut ſic uitam tollat, inauditũ. Corpulenta quædã mulier, cum modò ſupra, modò infra umbilicũ intolerabili premeretur dolore, nec ullus hinc inde ſpiritus erumperet, adeò agitata eſt, ut ſciſſo tandem inteſtino uitam finierit: quod niſi inciſa mortua pluribus innotuiſſet, neſcio an citra mendacij ſuſpicionem à me ſcribi potuiſſet. Sed & ruſticum nouimus, qui cum poſt longiores tortiones, & uẽtris diuturnas inflammationes diem obiſſet, & mortui incideretur corpus, longior in inteſtino fixura inuenta eſt: ex qua etiã recentes uuas, quas paulò antè comederat, prorupiſſe conſpeximus.

Vermis ex pectore propulſus. LXXVII.

LAborabat Antonius Siculus moleſta quadam tuſſicula, et cum diu nihil

hil conferentibus auxilijs hoc malũ toleraſſet, ad nos tandem uenit: rem exponit: conſiliũ quærit. Nos uerò & quòd morbus diutius inueteraſſet, & qđ multos expertus medicos, nihil omnino ꝓfeciſſet, putabamus hoc uitium ægrè elidi poſſe. Verùm ne quid intentatum relinqueretur, marrubij ſuccũ ex melle ægrũ deuorare iuſſimus ſingulis diebus: tum & interiectis tẽporibus ſcyllã lambere, donec uermis ex eius pectore unà cum tuſſi propulſus hominẽ ſanitati reſtituit.

Calculus ui ſua deciſus. LXXVIII.

NIcolaus Ruſticus calculo uexabatur, figura, ut poſtea conſpeximus, longiore. Hic cum ab ima parte acutior & aſperior eſſet, ueſicã ipſam incidit: tum & teſticulorũ tunica perfracta poſt multos ac penè intolerabiles dolores, tandẽ in conſpectũ uenit: quo haud magna poſtmodum difficultate deducto, cum multi hominẽ moriturum, & quidẽ rectè iudicarent (neq; enim ueſica cum incĩſa fuerit, præſertim inferiori

parte, cohæret) ille tamẽ præter omniũ opinionem conualuit: hoc ſolum ex tanto malo homini incõmodo relicto, qđ inde ſemper quoad uixit urinã reddidit.

Os fœminis eroſum. LXXIX.

VRgebatur Rogerij Corbinelli filia in ilibus dextris dolore ferè perpetuo. Quare multis diuerſo tẽpore uocatis medicis, cum unuſquiſq; pro ingenio ſuo (diuerſi enim diuerſa ſentiebãt) puellam curaſſent, & præſidia nihil omnino profeciſſent, è medio tandẽ ſublata eſt. Quare cõſiliũ fuit incidere corpus mortuæ, & inuentum eſt os fœminis eroſum, maximamq; oſſis partem in puluerẽ redactã: necnon & circa matricis os quatuor quaſi lutei tuberculi inſtar pilæ, quorum tres aqua opplebant, quartus paululum præ cæteris eleuabatur undique dentatus & ſuperficie inæqualis atque durior, utpote qui ex carne atraq; bile genitus eſſet. Non igitur admodũ mirandũ eſt, ſi in eiuſmodi morbis, quorum cauſæ incertæ abditæ'que ſunt, diuerſi medici diuerſa ſentiant & loquan

loquãtur. Nam & Antonij Iacceti filiũ nouimus, qui cum ingenti coxarum dolore uexatus, in maximam primum debilitatẽ, tum & in mortem nihil iuuantibus medicis, nihilq; conferẽtibus præsidijs deuenisset, inciso corpore inuentus est pestifer humor in coxa, quo magna pars ossis erosa, etiam in cinerẽ uersa uidebatur.

Calculo euulso sanata est mulier. LXXX.

CAlculum non in uiris tantum, sed etiam in fœminis concrescere certum est. Monialis quædam duodecimo iam die urinam nõ reddebat, propterea quod ipsius urinæ iter calculo obstrueretur, quò etiam materia multa confluxerat. Quare cum neq; ænea fistula, neque medicamentis alijs uinci hoc malũ posset, insolitum alioquin, sed tamẽ opportunum consilium capiens, uncũ calculo inijcio, ne scilicet concussus iterũ in uesicã reuolueretur. Tum ferramẽto priori parte retuso calculũ ipsum percutio, donec sæpius ictus in frusta comminuitur; & tunc omni qua potui diligen-

tia, ne quid intus omnino læderetur, un cum ipſum pariter ac ferramẽtum reduco: ex quo ſimul urina atque calculis remiſſis ſtatim ſanata eſt mulier.

Ex ſolo uento mors ſubſequuta. LXXXI.

LOdouicum Nicolinum generoſi equitis Othonis filiũ uidimus, qui cum ſolo uento uiſcera & ſtomachũ impetẽte adeò in monoculo afflictaretur, ut dũ pars parte premit͠, exitu hinc inde negato, nõ ſolum uiſcera & pectus, ſed ſcapulæ etiam incredibili extenderentur dolore, & ſpiritus magna ac miſerabilis fieret anguſtia, tertio deniq; die nihil conferẽtibus auxilijs è uita migrauit. Inciſo autem eius cadauere, & uiſcera omnia uento plena conſpeximus, & in ſiniſtro cordis uentriculo obduratum callum inuenimus, qui nucis magnitudinem æquaret. Quare ut illum, hoc eſt uentũ mortis ipſius, ita hunc ſcilicet callum aduerſæ hominis ualetudinis cauſam fuiſſe arbitrati ſumus.

Brachi-

Brachium ab humero diductum. LXXXII.

COhærere interdum membra ex- hulcerata uel ꝓtinus in utero, aut etiam uſtione conſueuerunt. Nos autē puellam uidimus & curauimus, cuius totum brachium feruentiſſimæ aquæ ef- fuſione humero cohæſerat. Cumq́ꝫ ne- mo ex prudentioribus medicis inueni- retur, qui puellam curare auderet (peri- culum enim erat, ne dum membra ipſa ſcalpello diſcernerentur, neruus incide- retur, & ſanguis immodicus proflueret) ego ſolus ut eram iuuenis hanc curā ag- greſſus, paulatim cicatricem ipſam ſcal pello diſcindo, ſanguinem ſupprimens, donec ad cubiti iuncturam, ubi neruus eſt, deuenio: tum ſeparatim utrunqꝫ mol liori emplaſtro circundo: & quoniā ex- tendere brachium non poterat, iubeo ut grauiori pondere ſumpto, manu id perferat, donec paulatim extendatur. Quod cum ipſa diuturnioris temporis ſpatio obſeruaſſet, ad priſtinū tandem ſtatum reuerſum eſt brachium ipſum,

ſola gratia & munere illius, qui eſt benedictus in ſecula.

Cor pilis refertum. LXXXIII.

IAcobus latro è patibulo quo ſuſpenſus fuerat, ueluti iam mortuus, ſed q̃ tamen adhuc uiueret, depoſitus atq; curatus cõualuit. Verùm, ut erat homo ingenio malo prauoq́;, ad eadẽ ſtatim ſcelera reuolutus, quibus antea extremum promeruerat ſupplicium, iterũ capitur atq; ſuſpenditur. Quare hominis admirati nequitiam, mortui cadauer incidendum curauimus: & inuentũ eſt cor eius ob eximiã caliditatẽ undiq; pilis refertum. Hoc idẽ inuentũ eſt in corde Ariſtomenis Græci, qui ſolus perhibet̃ integras acies pugnando in fugam uertiſſe. Eſt ergo nõ tantũ ſceleſti ingenij ſignũ ſed quandoq; etiam raræ fortitudinis.

Ex ſtata febre uita ſublata. LXXXIIII.

IOannes architectus ſingulis annis ſtato die, hoc eſt quo natus fuerat, febre implicabatur: quæ ex putreſcenti bile genita, ſuum circuitum ſeruans, quartum & decimum non tranſgrediebatur diem.

diem: Donec ſenio confectus, et eadem ex more cõplicitus febre natali ſuo die ui morbi proſtratus, naturæ conceſſit.

Multitudo uermium eiecta. LXXXV.

LAurentij lanij filium uidimus, qui ſeptimum agens annum, triduò ex nimia lũbricorũ ui ferè mortuus iacuit, ſolo potu ex gramine, aceto & ſacchamero uiuens. Quarto autem die cum medicamento ex aloë, myrrha & croco ei propinaretur, duodequinquaginta ſupra centum uermibus aluo depoſitis, ſtatim conualuit.

Recrementa ex naturalibus deiecta. LXXXVI.

PVellã quoq; uidimus, quæ clauſo ani meatu nata, octauoquoq; die recrementa ex naturalibus deijciebat. Cũq; hoc implicita malo uſq; ad ſextũdecimũ annum uitam duxiſſet, ui tandẽ morbi, quod στροφὸν Græci uocant (id autem fit cum inteſtina circa umbilicũ torquent) miſerabili cruciatu deiecta è medio ſublata eſt.

Vermes eiecti. LXXXVII.

IN Auinionis balneis, quæ ſunt in a-

gro Senensi, mulierẽ uidimus quæ continuis septem diebus aqua epota, quàm plurimos tandẽ ex ĳs, quos medici propterea quòd cucurbitæ semina imitantur, cucurbitinos uocant, uermes eiecit. Qui ita inter sese, dum scilicet alter alteri mordicus inhærerent, iungebantur, ut cum sua ipsi serie quatuor cubitorũ longitudinẽ excederent, unum tamen corpus, unum duntaxat uermem putares.

Frustulum carnis eiectum. LXXXVIII.

ILlud etiam memoria dignum uidetur: Mulier præfocata cum ab omnibus pro mortua haberetur, & de eius potius funere quàm de uita cogitarent assistentes, paulatim quasi grauiori somno excitata, in molestissimã incidit tussim: qua cum diu agitata esset, durioris tandem carnis frustulũ eiecit, & sanata est.

Sed & Iulianus medicæ artis professus, dum grauiter ægrotaret, & aduenienti medico dolorem quo circa uentriculum miserabiliter cruciabatur, exponeret, tangente illo (ut fit) ac manibus locum pertractante, erupit in uomi

tum

tum: quo & ipſe fruſtum carnis ad parꝫ uæ pilæ magnitudinem, in quo uermis non ſecus ac brucus in ſiliqua recludeꝫ batur, eiectans, ad priſtinam ſtatim reꝫ uerſus eſt ualetudinem.

Quæ inciſo mortuo notatu digna inuenta ſunt. LXXXIX.

NOn uidentur ſilentio eſſe præterꝫ eunda, quæ nuper in inciſo Iacoꝫ bi cuiuſdam furis inſignis cadauere adꝫ notauimus: bifurcatam ſcilicet uenam, quæ à liene ad uẽtriculum atram defert bilem, tum & abſceſſum in ſiniſtro corꝫ dis uentre pituita redundantem: poſtre mò & poſteriorem eius capitis partem, ubi memoriæ ſedes eſt, adeò breuem, ut tantillam cerebri portiunculam cõtineꝫ ret. Quam ob cauſam cum priorum ſceꝫ lerum, & eorum quæ pro his ſæpe paſꝫ ſus fuerat, tormẽta ſcilicet, exilia & car ceres minimè recordaretur, toties ad uo mitũ tanquàm canis impudens reuerſus eſt, ut in laqueum tandem inciderit, uiꝫ tæq́ ac furti finem fecerit.

Vrina ex alienis locis emanans. XC.

CONtrahitur etiam ex matris utero circa naturalia uitiũ, ut obstructio meatus, ex quo fluere urina solet. Vidimus enim & nos puerum quendã, atq; puellam nobilem hoc uitio laborantes. Quorum alter, cum adeò meatus ipse clausus obstructusq; esset, ut meiere inde non posset, ex angusto admodum foramine, quod paulùm infra glandem urina ipsa ui sua effecerat, emingebat, sed nõ absq; ingenti eiulatu & genitalis membri tumore. Altera uero ex loco, qui est infra pectinem paululum supra uuluam, urinã reddebat, nullis interim apparentibus signis atque indicijs, unde ipsa naturaliter efferri debuerit. Hãc autem nos cum parentum rogatu curare tentauerimus, & nullũ huic malo idoneum inueniretur præsidium, ita ut erat incurata ad ultimum suæ uitæ terminũ permansit.

Ex noxa illata neruis uox deperdita. XCI.

RVsticus quidam cum decliuiori capitis prora percussus recidisset, &

alteram

alteram capitis ipsius partē oppositam ad terrā, ut par fuit, elideret, surrexit quidem, sed mutus: id autem siue ex repercussione neruorum, qui regrediūtur ex pectore, siue ex defluenti materia, quæ neruos illos oppleuerit, tam incertum, quàm certissimum ex hoc communicatam noxam neruis ipsis, qui uocē effingunt. Nam & Galenus facilè medicorum princeps in libro, quem de interioribus scribit, affirmat fuisse hominē, qui dum glandula illi abscinderetur in collo, & scalpellum neruos ipsos, quibus uox effingit̃, incideret, illico factus est mutus.

Lumbricis uexatus puer quiescere non poterat. XCII.

PVerum uidimus et curauimus, qui cum nullo modo quiescere posset, sed ita semp hinc inde temerario quodā impetu & inordinato motu ferretur, ut etiam stare uolēs iterum titubaret & caderet, quæsitum est à medicis quænā esset abdita causa huius mali, quod illi distentionem cum saltu putabāt. Sed cum

nullam prorſus aliam inueniret quàm ti more, in quem paucis antè diebus puer ipſe neſcio quam ob rem incidiſſe dicebatur, idoneis ſecundum hãc rationem medicamentis puerum curare cœperũt: quæ cum nihil omnino proficeret, & in noſtras tandẽ deueniſſet manus, deprehenſa ſtatim morbi cauſa, quam ſolos lumbricos eſſe perſenſimus, uſqueadeò ad hoc malum propulſandum facilẽ & expeditum aditum habuimus, ut hac ſola intentione curatus puer, ad priſtinam breui regreſſus ſit ualetudinem.

Mulier ex lapſu urinã cõtinere nõ poterat. XCIII.

VEnit ad me mulier quædam, quæ urinam cõtinere nõ poterat: cumque aliquòd à nobis præſidiũ plurimis iam defatigatis medicis expoſceret, interrogo an aliquam huius mali cauſam teneat. Negante illa, iterum quæro ceciderit'ne, ex quo fortè ani ſedes eliſa fuerit. Cumq; & ipſa fateret olim ſe de ficu prolapſam, ultimam ſpinæ uertebrã eliſiſſe, nullo tamen inde ſenſibili percepto nocumẽto; & nos non fugeret ori-

ri ex

ri ex ea ipsa uertebra neruũ, qui cõstringendi uesicam uim habet, huius statim ægritudinis causam deprehẽdimus. Attrito enim ex eius lapsu neruo ipso, consequens fuit ut relaxata uesica urinã continere non posset: quod & sæpe aliàs ex eadem causa accidisse cognouimus. Hoc igitur nos malo idoneis eliso præsidijs, mulierem ipsam per Dei gratiam pristinæ sanitati reddidimus.

Calculus in tunica fellis. XCIIII.

DEcessit his diebus mulier nobilis Diamantes nomine, dolore prostrata calculi: sed cum nullũ antea ex eo percepisset nocumentũ, uisum est medicis mortuæ cadauer incidere: & reperti sunt lapides quàmplurimi, nõ quidem ullus in uesica, ut putabat, sed præter unum, qui in tunica fellis coloris atri & magnitudine castaneæ aridæ cõtinebat, cæteri omes in panniculo, quo cõtegitur hepar, unde etiã ueluti in folliculo dependuli sacculum effecerant. Hanc aũt nos mortis causam rati, sapiẽtis uiri consiliũ esse duximus, nihil omnino de incertis

& occultis morbis ſtatuere.

Ex præcedentibus torminibus eroſi uilli, quibus uis retinendi fulcitur. XCV.

INteſtinorum tormina, quod Græci δυσεντερίαν uocant, exhulcerare inteſtina intus cõſueuerunt, indeq; deſcendũt cruenta & muccoſa excrementa: cumq; id malum diutius inueteraſcit, aut hominem tollit, aut (qđ forſitan deterius eſt) nunq; ſaneſcit. Nã & nos Iulianũ quendam nouimus, qui cum poſt quadraginta dies, quibus hoc morbo uexatus eſt, ſublatis iam doloribus ac deĳciendi cupiditate, eius aluus impendiò liquidior permanſiſſet, & ſæpius q̃ par fuerat ferret, nullis unq; auxilĳs curari potuit, qn ſemper quoad uixit &, impetum uẽtris cohibere nequiret, et ubicunq; deĳciendi cupiditas hominẽ urgeret, ibidẽ excrementa deponeret, eroſis ſcilicet ex præcedentibus torminibus atq; cõſumptis uillis, q̱bus uis ipſa retinendi fulcit̃.

Ex ĳſdem torminibus eroſa uiſcera. XCVI.

VIdimus & alium natione Aretinum, qui cum ĳs item torminibus

diutius uexatus fuiſſet, ex ijſdem denicꝫ in erodentia ipſorum inteſtinorum hul=cera, tum in tabem, poſtremò in mortẽ incidens, eroſa intus uiſcera oſtẽdebat: è quibus dum ita affectus ſuperuixit, ut triennium non exceſſerit, continuò ſa=nies effundebatur.

Morbus comitialis. XCVII.

ET ſi notiſſimus inter cæteros mor=bos eſſe ſoleat qui comitialis nomi natur, ignotus tamen apud multos ple=runcꝫ eſt, ut quem nuper in puella uidi=mus Aretina: quæ cum huiuſmodi inua deretur morbo, minimè (ut aſſolet) con=cidebat, minimecꝫ ex eius ore ferebatur ſpuma. Sed ſtans caput tantum hinc in=de, ac ſi quid inſpicere uellet, tota cũ cer uice mouebat, nihil interim loquens, ni=hil audiens, nihil ſentiẽs. Cumcꝫ iterum ad ſe reuerteretur, interrogata quid egiſ=ſet, penitus ignorabat. Cauſam autem perquirẽtibus nobis cur puella cum co=mitiali afficeretur morbo, non concide ret, uiſum eſt ex hoc contingere, quòd cõtractio & tentio ad cerebrum nõ fer=

retur, cũ solus uapor sursum ascenderet. Ex quo nullo rigore cerebrũ ipsum intentum ab inordinatis motibus reliqua membra præseruare poterat. Quòd autem puella ipsa hoc morbo laborasset, et medici omnes quicunq; eam uiderant, affirmabant, & rei euentus facilè comprobauit: cũ prorumpentibus mẽstruis hoc malũ euaserit. Nam ut quandoq; in pueris Venus, ita in puellis menstruorũ initium huiusmodi morbũ tollere solet.

Elephantia. XCVIII.

Longis morbis annumeratur is quẽ ἐλεφαντίαν Græci uocant: qui in Italia penè nunq; uisus à medicis, uix dignoscitur. Peregrinum quendam uidimus in grabatulo iacentem, cuius summa corporis parte maculis quibusdã ad atrum colorem uergentibus inficiebatur, & cutis inæqualiter aspera crassaq;, & ueluti squamis fœda ac liuens, diuersis etiam locis mollis ac dura ostendebatur: quin & ossibus ipsis, ut uidebatur, iam uitiatis, & uniuerso corpore macie ac tabe confecto, ita suræ ipsius os, pedes &

des & manus intumuerant, ut utriusq; partis digiti sub tumore ipso conderentur. Quare cum ad hæc mala etiam febricula quædam adderetur, quæ hominem absumeret, unius tantum mẽsis spatio è uita migrauit ad Dominũ. Parcat igitur Auicenna, qui elephantiã tumorem pedum dixit: cum hæc non solum pedes, sed uniuersum corpus afficiat, & species lepræ sit, quæ apud nostros nõdum uisa, apud Paulum probè descripta notatur.

Ex calidiori materia caput impetente furit ac moritur puella. XCIX.

INsaniæ tria sunt genera, & acutum quodlibet. Vnum cum in accessione febris, aut in suo uigore desipit æger, & aliena loquitur, sed tamen leuata febre statim resipit. Alterum, quod Græci φρένησιν uocant, cui semper dementia comes est. Nam licet inter morbi initia resipere interdum uideatur æger, eius tamen mens quibusdam semper imaginibus agitatur. Tertium uerò genus est lethale magis ac pestiferum, cum scili-

cet æger ipſe non ſolum perpetuò de-
ſipit, ſed & quæcunque agit, impe-
tu quodam & uiolento motu operatur.
In huius aũt generis lethalem inſaniam
cum nobiliſſimi cuiuſdam uiri filia pro-
lapſa malè ageretur, & nos ad eam in-
tempeſta nocte uocati accederemus, a-
deò furẽtem puellã inuenimus, ut dum
hinc inde ſeſe uiolento quodam impetu
iactaret, quicquid interim obuium ha-
bebat, dentibus arriperet, frangeret, la-
niaret. Ex quo proprios capillos, bra-
chia & manus, & ſi quid præterea aliud
arripere poterat, ita mordicus, nullo ha-
bito diſcrimine ſuum'ne an alienũ eſſet,
apprehendebat, ut niſi ſciſſum ac pror-
ſus laceratum ex eius dentibus eripi nõ
poſſet, adeò ut uinciri puellam oportue
rit, ne ſibi aut alteri noceret. Verùm cũ
paucis pòſt horis furor illi remittti cœ-
piſſet, in ſomnum incidit grauiorẽ, quo
(tametſi noſtris præſidijs, ſtudio & dili-
gẽtiæ ægrè cederet) uix tandẽ excuſſo,
ab inſania quoq; puellam ipſam libera-
uimus. Sed ut eſt ingenium mulierum,
præſer-

præsertim nobiliũ, cum sanitate adepta nihil eorum quæ pro tuenda firmandaq; ualetudine iniuncta fuerãt, obseruasset, & sua uiueret libertate, post integrum mẽsem quo pristina usa est ualetudine, in eundem incidit morbũ: à quo cũ nullis unquam auxilijs potuerit à medicis liberari, unius tantum diei spatio è medio sublata est. Si quis autẽ huius morbi causam quærat, nos quantum coniectare licuit, materiã credimus fuisse calidiorem, sed paucam tamen: quæ cum caput peteret, suo & incendio & mobilitate puellam furentem redderet. Et quoniam caput ipsum frigidiori materia oppletum fuerat, hanc quoq;, cum & ipsa ut creditur & par fuit, exagitata fuisset, priori illa materia extincta ac resoluta, ipsum deniq; profundiorem somnũ puellæ fecisse putamus.

Vermis è nare proiectus. C.

SOlet interdum acutus & pestifer dolor in capite excitari, quem Græci κεφαλαλγίαν uocant, sed talem, quo caligent oculi, alienetur mens, citetur uomi

tus, ſupprimatur uox, frigeſcat corpus, & ipſa deniq; deficiat anima, rarum eſt uidere. Nam & nos amicum habuimus Philippum nomine, qui cum his omnibus ageret malis, & aduentante die ſeptimo mors ipſa nullis cõferentibus auxilijs iamiam adeſſe uideretur, ui tandẽ robuſtioris naturæ uermem è dextra nare palmo longiorẽ eiecit: quo propulſo, omnis ſtatim cũ eo amotus eſt languor.

Spaſmo Cynico mortua mulier. C I.

CVm imperitus quidã medicus cuidam mulierculæ ex gena dextra tuberculũ furunculo ſimile ſcalpello abſcidiſſet, nulla habita ratione neruorum ac uenularum, quibus illud, cum ſemiouí magnitudinem expleret, alligabat̃, illico ſubſequuta eſt inflammatio ac dolor, ex quo ſimul infelix mulier in eum incidit morbũ, quem Græci κυνικὸν σπασμὸν uocant: quo dum miſellæ illi temerario quodam motu peruertitur os, & facies modò in dexteriorem, modò in ſiniſteriorem partem diſtenditur, ac totum deniq; corpus pallore quodãm ſuffunditur,

ditur, adeò afflictatur mulier, ut cũ neq; sanguinis missiõe, neq; alui ductu, neq; unctionibus ullis, neq; alio quouis genere auxilij hoc malũ inhiberi posset, infra paucos admodũ dies è uita migrauerit: hoc nobis suo ipsius infortunio documentũ relinquẽs, ut cũ scilicet oportuerit, nõ passim nos omibus q sibi chirurgici nomẽ usurpãt, sed his tantũ q doctrina simul usu & iudicio præualẽt, credamus.

Gelatus. CII.

POst graueis diuturnos'q; labores, quibus per ingẽtia frigora turbido & pluuio cœlo, perq; flagrãtissimos æstus diu noctuq; perequitans sese fatigarat Antonius Collensis, in difficiliorem tandẽ incidit ægritudinẽ: qua statim ut corripiebatur (quod sæpe homini cõtingebat) amissa illico memoria sensu'que, eodẽ quo erat dum ab ea inuaderet habitu perseuerabat, patentibus etiã & inconiuis oculis: si eñ inter ambulandum hoc illi cõtingebat malũ, ambulabat: si inter quiescẽdũ, quiescebat: sin uerò inter aliud quoduis agendũ, tantisper ip-

ſum agebat, nihil interim audiens, nihil loquens, nihil cognoſcēs, donec cedente morbo ad ſe regrederet̃, et tunc etiam nihil eorum quæ egiſſet, reminiſcebat̃. Ex medicis aũt qui hominem uiderint, alijs uirtutem quæ diſcernit & unit coniungitq́;, læſam eſſe iudicantibus, eiusq́; noxam cæteris uentriculis iunctum iri uolentibus, adeò ut memoria ex hoc & communis ſenſus intrinſecus paterent̃: alijs aliter, & quidem argutius, & morbum & cauſam explicare conantibus: nos hominem gelatũ dicebamus: cum huius morbi notæ, quæ per ſe ſatis eruditioribus eas ueſtigare uolentibus manifeſtæ ſunt, eiuſmodi detegerent ægritudinem. Fit autem id malum ex nigriori bile poſtremũ uentrem cerebri impetenti, quæ ſtatim memoriam tollens, ſua etiam ſiccitate cæteros uentres contrahit: quibus clauſis tollitur pariter ſenſus & motus, & quoniã frigidior eſt, hominem gelat. Quibus uerò medicamentis ad hunc morbũ profligãdum uſi ſimus, propterea quod eius cura notiſſima eſt,

intexe-

intexere superfluum iudicauimus.

Tensio neruorum ceruicis. CIII.

GRauioribus morbis obnoxia ceruix est: sed inter cæteros importunior acutiorq́; , qui rigore quodam neruorũ erectam ægri ceruicem intendẽs, eum sæpe uel intra quartam diem interimit. Quo morbo cum Parmensis quidã Franciscus nomine grauiter urgeretur, & nos ad eum uocati, hominem robustioris naturæ, & qui turgentibus uenis faciem etiam atq; oculos rubicũdiores haberet, inspiceremus, sanguinem statim ex ea uena, quam κεφαλϊκὴν Græci uocãt, mitti iubeo. Tum parciori uictu, hoc est, sola aqua ex melle hominem cibans, hyrcino atq; caprino oleo detonsum madefacio caput: superq́; imposito pileo, aluum etiam his medicamentis duco, quibus à capite ipso ac cæteris superioribus partibus deduci resoluique possit humor, qui huius mali causa fuerat: ex quo ocyus affuit illi sanitas quàm mors affutura putabatur.

Ex absceſſu gulæ hominem penè iugulatũ. CIIII.

ALiud quoque morbi genus circa fauces oriri conſueuit, & id interdum peſtiferũ acutumq́ꝫ: quale in Alexandro Serralio nuper uidimus, cui neque rubor neqꝫ tumor ullus intus in gula aut extrà oſtendebatˀ, ſed aridum corpus erat & ſqualidum. Cumq́ꝫ nihil omnino alimẽti demitteret, ſed quicquid abſumeret ſtatim reiectans uix ſpiritum traheret, & uox adeò faucibus hæreret, ut ne mutire quidẽ poſſet, iugulari prorſus hominem putares: nos tamen & urgentis morbi & ægri uitiũ ratione habita, utile & præſentaneum remediũ duximus ſanguinem mittere: tum & cucurbitulis natibus affixis deducere humorẽ conati, frictionibus ſimul alijsq́ꝫ præſidijs quæcunqꝫ extrinſecus hominem iuuare poterant, tantiſper utendũ cenſuimus, donec ægri fauces detumeſcerẽt. Verùm ubi malum his omnibus auxilijs non modò cedere aut leuari, ſed in horas uehemẽtius ac cõtumacius fieri aduertimus, omni abiecta ſpe ægrum tan-

quàm

quàm proxima nocte moriturum, Deo & naturæ reliquimus. Hũc autem cum aſſiſtẽtes, uelut iamiam ſpiritũ exhalaturũ, ſigno Crucis ex more in auroram uſq; ſingulis momẽtis cõſignarẽt ac munirẽt, ecce ſtatim à ſummis ægri faucibus tam ingẽs ex adaperto intus abſceſſu purulẽtæ materiæ uis effertur, ut homine penè iugulato, catinulũ, in quo recepta eſt, ad ſummũ repleret labrũ. Qua expulſa, ſtatim reſumptus eſt ſpiritus, et æger qui iam pro mortuo lugebatur, ueluti ab inferis remeans, paulatim conualeſcere cœpit, donec integram cõſequutus eſt ſanitatem.

Vitio lienis curatus. CV.

LIenis uitio afficiuntur quamplurimi: horũ ſiniſtra pars tumens ac durior premẽti renititur. Quod ſi diu perſeuerat (nam interdum perpetuũ id malum eſt) tumeſcunt crura: & ſi hulcera præterea innaſcuntur, uix ſaneſcunt. Multos nos tali uitio affectos curauimus: inter quos unum, quem, cum ſeptennio hóc morbo uexatus fruſtra mul

ta consilia, ac penè infinita præsidia expertus fuisset, solo tandem cappari, qui tali ægritudini aptissimus cibus est, sola'que ui aquæ, in qua faber ferrarius sæpe candens ferrum extinguit, annua potione liberauimus : tanta scilicet in eiusmodi aqua contra hoc uitium inest uis atque uirtus. Vnde & compertum est, animalia quæ apud hos fabros educãtur, perquàm exiguos habere lienes.

Morbo cœliaco curatus. CVI.

IN ipsius uentriculi porta morbus innascitur, qui à Græcis κοιλιακὸς appellatur. Durescere sub hoc uenter solet, & torminibus premi, aluusq́ ipsa adeò nihil reddere, ut ne spiritus quidem infrà, sed nec suprà erũpere possit. Paulus pater meus haud mediocris ingenij & doctrinæ uir, hoc morbo malè uexatus, cũ diu multa ac uaria auxilia, sed frustra, expertus fuisset, clystere ex solo lacte condito in uentrẽ iniecto, ac multis sub inde strigmẽtis depositis, ad pristinam reuersus est sanitatem.

Ex tenuioris intestini morbo sanatus. CVII.

IN tenuiori intestino acutus interdũ & pestifer oritur morbus, ex quo etiã supra umbilicum intolerabiles excitantur dolores, nec spiritus ullus transmittitur: & non solum cibus ipse, sed stercus ipsum plerunque per os redditur. Vomitus autẽ uarius aut niger existẽs, grauioris etiam odoris est. Tali igitur morbo adeò Laurentius amantissimus frater affectus est, ut cum neque missio sanguinis, neque alui ductio, neq; aliud quoduis idoneum auxilium hoc malum frangere posset, materia tandem ad neruos prolapsa, in morbum incidit comitialem. Quo breui & in mortis discrimen adductus, cum triduò hoc habitu iacuisset, nihil omnino degustans, à medicis derelictus est. Verum die quarta, ubi paululum reuiuiscens uinum lambere occepit, resumitur spiritus, & morbus paulatim ui naturæ propulsus, præsidijs cedit, donec tandem per Dei gratiam penitus sublatus, hominem sanum

X

reliquit: quod non prius tamen effecit, quàm exactis quatuor mensibus, à die quo primùm ille huiuscemodi affectus est morbo.

Morbo uuluæ inedia liberata est mulier. CVIII.

VExari uuluæ morbis ut mulieribus commune, ita sanè inauditũ sic uexari, ut patiens nullum cibi genus deuorare queat. In cœnobio mõtis Cœlij monialem uidimus, quæ cum huiusmodi uuluæ morbo grauiter affictaretur, ita prorsus quancunque illi subministrassent escam fastidiebat, ut quodã uelut impetu æstuãtis stomachi eam statim ut acceperat, uomitione propelleret: quod nos ab irresolubili & crassiori uento, qui à uulua ipsa uersus stomachũ ferretur, fieri putantes, multa pro re ac tempore adhibuimus auxilia: quæ cum nihil omnino proficerent, & ad decimũ ipsa iam diem sola panis buccella (quod mirum est) uitam traduxisset, ui tandem inediæ deuicto ac penitus profligato

gato morbo, ad priſtinã reuerſa eſt mulier ſanitatem.

Aqua inter cutem eliſo utero propellitur. CIX.

ACcidit interdum caſu & fortuna ſanari nonnullos, quos medicina curare nõ poteſt. Mulierem ſcimus, quæ dum aqua inter cutem adeò laboraret, ut nulla de ſalute eius supereſſet ſpes, neſcio quo ſpiritu impulſa, de eminenti quodam loco ad terram deuoluitur, & utero ad lapidem eliſo diſiectóque, ita prorſus om̃is effuſus eſt humor, ut quæ puerum octimenſem geſtare uidebatur, enixam crederes. Sed nec multo pòſt aut tempore aut labore idoneis ad hanc rem adhibitis præſidijs, penitus ſanata eſt mulier.

Alapa mortuus. CX.

EXorta inter duos iuueneis lite, cũ alter alterum extento brachio alapa percuſſiſſet, in morbũ ſtatim, quem ἀποπλήξαν Græci uocant, reſolutus uapulans, pucis etiam horis iugulatus in-

terĳt. Quare cõuocatis medicis (in uincculis enim detinebatur reus) quæſitum eſt de cauſa mortis ipſius. Verùm alĳs in ictum ipſum, quo materiam commotam fuiſſe putarent: alĳs in humidiorem locum, quo diutius obdormierat: nonnullis etiam in lautiorem uictum & potum pleniorem, quo dum uixit eſt uſus, huiuſmodi mali cauſam referẽtibus, indiſcuſſum apud præſidem remanſit iudicium. Nouimus item fullonem quendã nomine Petrũ, qui unico pugno ſtomacho cuiuſdam iuuenis uiolentius impetito, hominem interemit.

Gemini pueri. CXI.

GEminos naſci nullus dubitat, ſed ita naſci, ut indiſtincti ſint, monſtruoſum. Mulier quædam Alexandra nomine, ex Mediolanenſi agro Florentiam ueniens, geminos mares quæſtui ſpectandos dabat: quorum alter integer toto corpore, diſtinctis'que mẽbris erat: alter uerò ita ſcapulis alterius iungebatur uentriculo, ut illo totum caput

iniecisse uideretur: cætero uerò corpore ab eo seiunctus, nõ secus illo de mammilla matris lac exugente mouebatur, ac si ipse pariter sugeret. Sed & sub idem ferè tempus uidimus & alios geminos, qui ab humero ad plantam pedis coierant capite excepto, alter sinistro, dextro alter ubi iungebantur carebat brachio. Coxa, crus, & pes unus ac communis erat. Altera tamen corporis parte integra seiunctáque distinguebantur.

ANTONII BENIVENII DE abditis morborum & sanationum causis, FINIS.



POLYBVS

DE SALVBRI VICTVS ratione priuatorum, Guinterio Ioanne Andernaco interprete.



RIVATOS hanc uiuendi rationē sequi oportet. Hyeme plus esse, minus bibere conuenit. Sed potioni uinum quammeracissimum, esui panis exhibendus est. Carne potius assa, modicè oleribus utendum. Huiusmodi nanque alimentis corpus & siccum & calidum euadet. At Vere potioni adijciendum: sed paulatim tamen & dilutius bibendum est. Cibo demendum, eoque molli, pulte uidelicet magis quàm pane, magis oleribus utendū est. Eadem lege transeundum paulatim ab assis ad elixa. Aestate uerò cibo minus duro, & elixis, & oleribus tum crudis, tum coctis, potiōe multa corpus æget: cauendum tamen, ne magna subitò di-

ctorum fiat mutatio. Eo tempore aptis-
sima sunt, pulticula mollis, caro elixa,
potio quamdilutissima. Atque hæc ita ob
seruanda sunt, ut corpus molle sit, & fri
gidum. Nam id calido anni tempore, &
sicco, exuritur squalidumque redditur.
Itaque his rationibus tueri oportet. Pari
autem modo ex Vere in Aestatē, sicut
ex Hyeme in Ver constituere, cibis de-
mendo, adijciendoque potioni. Rursus
ex Aestate in Hyemem traducere, dum
annus absoluatur, expedit. Per Autum
num cibo paulò pleniore, & sicciore uti
licet: minus, sed meracius, bibere. Quē
admodum, ubi Hyems bona cōtigerit,
meraca etiam magis & exigua potione,
cibo pleniore, & uehementer sicco uti.
Ita enim hoc frigido admodū & humi-
do tempore optima ualetudine frueris,
minusque frigus senties. Quod ad habi-
tus & ætates attinet, plenis, mollibus,
rubicundulis ob temperaturæ humidita
tem siccior uictus ex usu est: Gracili-
bus, duris, rufis, & nigris humidior.

Nam

Nam huiusmodi corpora sicca sunt. Iuuenibus autẽ rarior & humidior: quorum ætas sicca est, & corpora magis indurauerunt. Senibus magna ex parte siccior aptus est. Siquidẽ humidi, molles, & frigidi sunt. Proinde habitus & ætatis, & temporis anni ratione, uitæ modũ instituere oportet, qui præsentibus et calori, & frigori contrarius existat. Sic em̃ potius sani degemus. Per hyemem celeriter ambulandum: æstate conquiescendum est, aut non in sole ambulandum. Obesis cita ambulatio, gracilibus lenta conuenit. Per æstatem frequẽti balneo, hyeme raro utendum est; idq; magis tenuibus, quàm plenis. Eo quoq; tempore corpus ueste pura, per æstum uili lacerna uelandum est. Obesi, qui graciles fieri cupiunt, labores uniuersos ieiuni subibũt, & sudantes adhuc, necdum refrigerati cibum assument: uinum temperatum, & non perfrigidum prius bibẽt: epulæ, sesanum, atque id genus alimẽta dulcia sunto, eaq; copiosa. Sic enim uel

paucissimis bellarijs saturantur. Semel die cibus assumptus, rarum balneum, lectus per æstatem terra, hyeme durū cubile, sine uestibus obambulatio, quanta maximè fieri potest, conducit. Qui tenues se implere uolunt, præter alia, quæ plenis contraria facient, modicè ieiuni exerceri debent. Vomitu uerò, & uentris deiectione à medicamēto petita sic utendum est. Sex hybernis mensibus uomere utile est. Nam & pituitæ plus, & capitis grauitas subest. Ad hæc dolor præcordia exercet. Deiectionis æstate usus est. Tum enim æstus biliosum corpus reddit, grauitates lumbos fatigant, & genua calore infestantur, uentris oriuntur tormina, & distorsiones. Iam uero superiores corporis partes per inferiores purgandæ sunt. Deiectio autem plenioribus & humidioribus à medicamento magis salso: siccioribus autem, & tenuioribus, & imbecillis à pinguiore, crassioreq; petatur. Pingue igitur & crassum est lac, aqua ex ci

cere cocta, atque hoc genus alia: tenue & salsum olus, aqua marina, reliquáque huiusmodi. Vomitus prouocandi hoc pacto sunt. Crassiores ieiuni, & cursu, citáque ambulatione exercitati medio die uomere debent. Potui sumãt hyssopi sesquicyathũ, aquæ congio intriti, eumq́ totum bibat, aceto saleq́ adiecto, quò edulcescat. Primum lentè, mox citius potandũ est. Tenuiores, magisq́ imbecilli à cibo uomitum ita mouebunt: Loti calida, meri cyathos tres bibent, dein epulas uarias assument: uerùm sine potione, neq́ post has bibendum est, nisi tanto interuallo, quãto stadia quatuordecim expedias: pòst uinis tribus cõmistis utendũ est, austero, dulci, & acri. Primum meracius & modicè paulatimq́ bibere, postea dilutius, liberalius, & citius conuenit. Qui uomere bis in mense uult, melius consulet, si biduo cõtinuarit, quàm si post quintũdecimũ diem uomuerit. Alij secus faciũt.

Qui post epulas uomere uolũt, uel quibus aluus astricta est, his omibus die sæpius, uariosq; cibos esse: tum uina bina, aut terna bibere expedit. Quibus uomitus non est utilis, uẽter autem sanus est, his contraria superioribus conueniunt. Pueris calida lauatio longo tẽpore apta est: uinum dilutius, neq; omnino frigidum. Hoc autem exhibẽdum est, quod uentrem minimè attollit, perturbatq; & inflationes parit. Quæ omnia conducũt ne conflictẽtur, sed maiores, colorationesq; fiant. Mulieribus siccior uictus ex usu est. Etenim cibus siccus, potio meracior carne mollibus idonea est: ad hæc secundis, & fœtui nutriendo potior est. Qui corpus exercẽt, per Hyemem currere & colluctari debẽt. Aestate luctandum modicè, currendum nihil est. In frigore multa ambulatio conuenit. Qui cursu fatigantur, luctari debent. Qui ex lucta fatigationem sentiunt, his currendum est. Quibus exercitatis, uẽtris profluia oboriuntur, & cruda incoctáque

deijci-

deijciũtur, ijs exercitiorum pars tertia, ciborum dimidia prorſus demenda eſt. Quippe uenter eorum copiam cõtinendo non eſt. Ad hoc panem quammaximè aſſum ex uino eſſe oportet: bibere uerò nimis quàm modicè, ſed meracius. Semper autem poſt cibum conquieſcere; qui ſemel die tunc aſſumendus eſt. Hac enim ratione uenter ſibi commiſſa maximè confouet, mutatq́;. Accidunt huiuſmodi profluuia potiſſimũ ijs, quæ ex uictus conſuetudine carnem denſam acquiſierunt. Nam uenæ denſiores alimenta nõ recipiunt. Atqui tales in eodem habitu ſubſiſtere diu non poſſunt, ſed in alterutrã partem declinãt. Qui rariores cute ſunt, & hirſuti magis, carnis eſum ex facili admittunt: labores magis ſuſtinent, diuq́; bono corporis ſtatu fruuntur. Qui cibos poſtero die eructant, & præcordijs dolent, ijs ueluti crudis adhuc cibis, diutius dormiẽdum eſt: nonum genus laboris ſubeundum eſt. Vinum meracius, largiusq́; bibere opor-

tet: cibis uti paucissimis. Quippe cõstat uentriculum imbecillitatis frigorisq́ʒ uitio ciborum copiam concoquendo non esse. Qui siti premuntur, parcius edent, minusq́ʒ laborabunt, uinum dilutum, simul & frigidissimum bibent. Quos dolores uiscerum infestant, uel ex labore, uel alia quadam ambulatione, sine cibis recreandi sunt: modica potio conuenit, maximeq́ʒ ea quæ moueat urinam, quo uenæ ex uisceribus prodeuntes, repletæ non distendantur. Nam hinc inflationes febresq́ʒ oriũtur.

FINIS.

BASILEAE, APVD ANDREAM CRATANDRVM ANNO M. D. XXIX.